

Medica de morbo malo, sive de peste. Disputationis vicem inauguralis, ... / sub praesidio ... Dn. Johannis Michaelis, ... Pro consequenda potestate in Arte Medica assumendi privilegia & honores Doctorales, vulgò dictâ Licentia, ... Idibus Septembr. Aerâ MDCXXXIIX. P.P. M. Andreas Rivinus, Saxo-Halensis.

Contributors

Michaelis, Johann, 1606-1667
Rivinus, Andreas, approximately 1601-1656
Eulenaw, Christianus
Schwendendörffer, Bartholomäus Leonhard, 1631-1705

Publication/Creation

Lipsiae : Typis Gregorii Ritzschii, [1638]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ew2bp3zx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MEDICA

De

MORBO MALO,

sive de PESTE.

DISPUTATIONIS vicem INAUGURALIS,

Aspirante Rocho vero J. CHRISTO,

De Sententia

Χαριεσάτης Ordinis Medicorum,

Sub præsidio

Viri Clarissimi & Experientissimi

Dn. JOANNIS MICHAELIS,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Physiologicesque

Professoris Publ. & inferioris Princip. Collegii Colle-
giati longè dignissimi,

Pro consequenda potestate in Arte Medica assumend

Privilegia & honores Doctorales, vulgò
dicta

L I C E N T I A,

In Porticu Tiliarum ad Plisn-Elistrum,

Idibus Septembr. Ærà ∞ 15CXXXIIX,

P. P.

M. ANDREAS RIVINUS, Saxo-Halensis, Co. P

Cæs. & Prof. P. artis Poëticæ, Medicæ autem Baccalaureus,

& prædicti Collegii Principp. pariter, ut & Communita-
tis Philosophicæ Collega. *Duplicat*

L I P S I Æ

Typis Gregorii Ritzschii.

VIRIS

Magnificis, Amplissimis & Prudentissimis
REIP. LIPSIENSIS CONSULIBUS

Dn. CHRISTIANO Eulensaw/
p. t. REGENTI.

Dn. LEONHARDO Schwendendorff/
fern/Serenissimi Saxoniae ELECTORIS
CONSILIARIO Nobilissimo,

Scabinatûs item Electoralis Assessori Primario:

Utrique Aedium & ærariorum Sacrorum,

Huic quidem ad D. Nicolai,

Illi vero ad D. Thomæ

Ephoro fidelisº.

Dominis suis Patronis merito jure suspiciendis

Hec Inauguralis Disputatio

Observantiæ E.

D, D, D. Consecrataque esto
ab authore

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE

I 7 8 7

AN, RIVINO, P.P.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ ΕΙΣΑΓΩΓΙΚΗ.



Medicorum Theorematum Singulorum atq; universim omne Theorema imprimis verum esse debet: Secundò utile: tertio artis fundamentis consentiens. Quorum si desit unum, ne Theorema quidem dici meretur. C. L. GALENUS.

§. 1. Quod pro-primi seu præcedanei Theorematis vicem, & aliorum, quæ ex arte Medica nunc molior, Theorematum cynosuram quasi, aut Lydium lapidem esse volui, è Criticorum non minus, quàm Medicorum (si Casaubono in Athenæum & Heinsio Orat. 3. pro Biblioth. fides est,) Principe. §. 2. Hic autem propositione illa axiomaticâ librum de opt. secta ad Thrasyb. auspiciatus, eam telam ita detexit, ut tribus his judicandi rationibus tres in Medicina sectas celebriores Rat. Emp. & Meth. quàm commodissimè examinari posse præclarè iverit demonstratum; quicquid de auctoritate hujus libri Comes Montanus adv. Erastum, qui à nostris stat partibus, scribat. §. 3. Et verum quidem æstimari docuit Galenus ex Orationis cum rebus, vel sensui evidentibus, vel obscuris concordia; utile verò ad finem artis referti, vitæ sc. commodum, & ad posse comprehendere; atque hujusmodi Theorematum apprehensionem non convenire vulgaribus (ΙΔΙΩΤΑΙΣ) esse communem, sed artificibus propriam: cohærens denique judicari consecutione, si cum aliis artis principiis, veluti multi subditi sub uno principe solent, consociari valeat, ita utposito eo, aliud necessariò ponatur, & sublato uno aliud auferatur. §. 4. Ubi profecto Cui Magistri Enarratorem perpetuum ante oculos habuisse crediderim principium libri de statibus f. 275. Quo loco Hippocrates Medicam artem ξυνοὶ ἀγαθὸν καὶ τοῖσι μὲν ἸΔΙΩΤΟΙΣ ἰ, καὶ τοῖσι μὲν χειρὶζομένοισι ἴν esse statuit; cujus quidem hi laboriosam adipiscerentur κτήσι, illi autem fructuosam aliquam χεῖσι: utpote cum ejus Artis vilia nôsse difficile sit, seria verò & utilia facile; atque hæc Idiotis simul contingant, illa autem Medicis saltem, quod mentis, non corporis opera existant. §. 5. Nam & ex Rationalium mente Galenus Methodico; Sensui perspicua conferentium esse indicativa putantes, ibidem confutat, quod ita à vulgaribus (idiotis) Sensui nota quoque percipientibus nihil differant. Cùm artis principia uti vulgo ignota sũnt, ita ignota esse deberent: quæ si nota essent, ea tradi nihil attineret. §. 6. Hic tamen sciendum, quod nec omnium omninò rerum cum ignarissimis gnaros scitatus sit Galenus Idiotas, qui quantum hi ad simplices intemperies, facilesque affectus pellendos duce naturâ valerent, & ubi scientia venerabilior, ejusque professor Medicus requireretur, exemplis jucundis deduxit c. 1. lib. 5. de medic. simpl. fac. & lib. 7, c. de fumaris. Item lib. 6. Epidem. com. 1. t. 29 apud vulgus pariter & χαλεπας plerosque obtinuisse quoddam ait principium, febrem cordis esse calorem p. n. auctum Ubi IDIOTIS GRATIOSOS s. Medicos opposuit, ab auxiliari medicinâ sic olim appellatos, quod hæc morbo periclitantibus maternâ gratiâ semper adlisset, ut in Archiætrorum Comitibus Epist. 19. l. Principis nomine Cassiodorus gratiosè declarabit. §. 7. Isto etiam pacto diu antè Coum Oraculum sæpiculè, ut lib. statim de Arte f. 4 & lib. de passon. f. 516.

item lib. de. Pat. vi. in morb. ac. f. 384. Et pluribus passim locis, quomodo Δημότριος ἢ
 Ἰδιώται ἀνοσιήμονες ab artis hujus & scientiæ veræ filiis Medicis differant; quidq;
 illi circa morbos judicarent, scirent ac facerent, explanavit. §. 8. Quæ namq;
 Græcorum communiter omnium connata qf. fuit consuetudo, ut quoscunq; reli-
 quos populos præ se Barbaros reputârint; ea peculiariter propria Asclepiadarum
 erat; ut omnes non-medicos, vel populares saltem & φάυλος Medicos sub Idiota-
 rum nomine genuinis, κώμοις Aristot. βελτίοις καὶ δεονότατοις Plat. καὶ ἕργα ἰτροῖς
 opponerent, istis ut profanis, prius quàm δεγλοισι ἐπισήμησι initiati essent, sacra
 medicinæ denudare nefas arbitrantes. Ceu Lex Hippocratica expressè ita sancivit. §. 9.
 Pariter ut paucis abhinc retrò seculis omnes alii, qui non sacri alicujus ordinis κλη-
 γον allegare poterant, Laici salutabantur, & à Clericorum beneficiis ac privilegiis
 longius arcebantur. §. 10. Quæ pleraq; omnia quanquam alibi à me ex parte ta-
 cta doctaq; sint in antecessum, quia tamen minùs sunt gregaria aut popularia, ea
 vel mei quoq; causâ ex ipsis artis summis Dictatoribus h. l. uberius præfari & incul-
 care volui, ut occasio juxtim reiteratæ in hâc materiâ disputationis, sub alio ta-
 men formali ritè pernoscatur. §. 11. Nactus nimirum fueram (ultra naturalem
 propensionem, industriam & locum accommodatum) παιδομαθίαν haud vulga-
 rem, ut ad Medicinæ comparandam fertilitatem nihil magnopere nisi tempus &
 studium continuatum ex Agricultura Legali Hippocratica quondam viderer desi-
 derare. §. 12. Hæc autem sociorum partim perturbatorum, partim inconstantium
 contagio præmaturè & in ipsa herba deficiebant; ut satius ducerem cathedris affi-
 dere declamantium & philosophantium, quàm angulis ægrotantium, quorum
 commerciò, si non corpus, saltem animus affligeretur, cùm ex aliorum calamitati-
 bus dolor medicis proprius concilietur. Ut rectè iterum Hipp. loc. cit. ὁ δὲ φουῶν.
 Sufficere itaque mihi tum credidi, si non omnis planè scientia, quamvis augustior
 & venerabilior illa denegaretur. §. 13. Sed cùm longo tempore post Socraticum
 illud è Platone, quo impense semper fui delectatus, haussissem, III. de Rep. Ἰατροὶ
 δεονότατοι εἰς γένοιτο, εἰ δὲ παῖδά. δεξάμενοι πρὸς τὴν μανθάνειν τὴν τέχνην, ὡς πλείους τε καὶ
 πονηροτάτοις σώμασιν ἐμιλήσειαν καὶ αὐτοὶ ΠΑΣΑΣ ΝΟΣΟΥΣ κάουσιεν, καὶ εἴεν μὴ
 πάν ὕγιενοὶ φύσει. Exindè sanè animum studiumq; resumpsi, ut ipsa Medicorum
 adyta paulò pervestigarem intentiùs, quò vel omni morborum genere labora-
 turo mihi met, non modo laborare viso, post Deum haud penitus deessem. §. 14.
 Quo nomine pestili hoc tempore foetum gemellum de pestilentia concepti, alte-
 rum quidem ut Idiota adhuc è Philologorum seriniis, & ferè saltem nominalem;
 alterum autem ut Medicinæ Sacris primâ Laureâ jam initiatus, è Medicorum sa-
 crariis & myrotheciis, magis (si ita loqui fas sit) realem. §. 15. Ne illi perpetuo
 nobis occlament de nominibus: quibus cum Scalig. com. de insomn. p. 63. respon-
 demus, etiam pecudibus res notas esse, atq; asinis; solius autem hominis interesse
 rectè loqui: cum sit instrumentum maximum rationis oratio, cujus pravitate
 ingenia distorqueantur. §. 16. Illos autem carceres ingressus sum bono cum DEO,
 Ducibus præcipuè novæ pariter & veteris artis Antesignanis nominatissimis. Quò
 ita verum utile ἔσ' ἀμόψηφον sectarer, modò, quod opto & DEUM ideo veneror, us-
 que-quaque affectare.

THEOREMA I. DE DEFINITIONE.

Εστὶ δὲ διασὰ ἔθνεα πυρετῶν, ὁ μὲν κοινὸς ἅπασιν καλούμενος ΛΟΙΜΟΣ ὁ δὲ διὰ πονηρῆν διαίταν ἰδίην τοῖσι πονηρῶς διαίτησμένοισι γινόμενος. Ἀμβροτέρων δὲ τετῶν αἷτιος ὁ Ἀἷρ *Et statim*: ὁ κόταν μὲν ἐν ὁ αἷρ τοιστεοῖσι (νοσεροῖσι) πληθῆ **ΜΙΑΣΜΑΣΙ**, ἀτῆ ἀνθρωπίνη Φύσῃ πολέμια ἐστίν, ἀνθρώποι τότε νοσέουσιν. ὅταν δὲ ἐτέρω Ἰνὶ, ἔθνει ζῶων ὁ αἷρ ἀνάρμος ἢ, τὸ νέσημα κείνα νοσέουσιν. αἱ μὲν ἐν δημόσια ἔσαι τῶν νέσων, εἴρηνται ἔ. *ibidem*, οἱ μὲν ἐν πυρετοὶ διὰ τετο, ὡς ἔφην, γίνονται καὶ τὰ μετὰ τῶν πυρετῶν ἀλγῆματα καὶ νησήματα. **HIPPOCR.**

SUMMARIUM.

Hippocratis encomium, ei liber de flatibus vindicatur: exinde Definitio pestis eruitur, & membratim examinatur. An pestis semper cum febre? an Epidemia sit, si unus saltem & alter ea corripiatur? An aer semper & quomodo pestis causa? an sit idem vehiculum? quale seminium? quis fomes? &c.

Ἐκθεσις.

§ 1. Multi fuere ex veteribus, qui pestis rationem explicare & posteris tradere tentarunt: sed unum *Hippocratem* in eo genere omnes alios excelluisse inter Medicos constat, non modo *in iis*, quos *Epidemicos inscripsit, libris*, verum etiam alibi & praesertim in illo volumine, ubi *περὶ Φυσῶν* sive *de Spiritibus* disertissime tractat. § 2. Quod eum ab *Erodotiano, Galeno, Greg. Nazianz, Stobaeo* & aliis fide dignis scriptoribus ut *Hippocraticum* citetur, quin magna apud Medicos existimationis; tanquam *Hippocratis* doctrinam plenum, esse debeat, neminem negaturum sperat *elegantissimus Medicorum Italorum Hieron. Mercurialis lib. 3. var. lect. cap. 6.* Cui etiam contra Antecessorem suum in Schola Taurinensi *Franc. Valeriolam* subscripsit *Horatius Augenus lib. 4. Epist. & consult. Med. f. 461 tom. 1. ut* & *Anutius Voësius in Notis ad hunc lib.* § 3. In quo *Divini Senis* divino loco *Morbi mali* (ita enim Pestem indigitari ab *Hippocrate* in *Epist.* & ab aliis alibi diximus) Definitio latet Medica, quam talem inde ad verbum extruimus. § 4. *Pestilentia est febris omnibus communis seu epidemia, acutissima, seminis spiritualibus, naturae humane peculiariter & occulte adversis ac venenatis*

contagiosa, & perniciosissima; variosq; dolores & omnis generis morbos atq;
Symptomata inducens. §. 5. Quæ ipsa definitio si cui paulò videatur esse prolixior, is Medicam esse sciat, *juxta doctrinam Galeni 4. de different: puls. 2. ubi dicente Mercuriali qd. lege quadam præcepit, tyrones longis definitionibus & descriptionibus esse docendos.* §. 6. Atque hæc non pugnat cum alterâ alibi allatâ descriptione, nisi quod *lues* genus sit latius, *febris* propius: morbum enim generatim esse quilibet scit Idiota, sed in specie qualis sit, non nisi Medicus. §. 7. Quemadmodum nec alia ratione ij nobis adversantur, qui pestem *morbum communem* esse volunt; utpote cum *juxta nostrum textum Hippocrat. sit ὁ πυρετός κοινότατον νόσημα, ὃ πᾶσι ἐφεδρέυει τοῖσιν ἄλλοισιν νοσήμασι, μάλιστα δὲ φλεγμονῇ.* §. 8. Cum quo facit *Galenus lib. 1. aph. com. 3. §. propter inflammationes aut febres, quæ semper comitantur morbos acutos, & lib. 7. aphor. 1. §. 9.* Quamobrem & istud in definitione appositum est attributum, quod sit *acutissimus*, vel exquisitè peracutus, qualis semper est cum febre, *secundum Galenum 3. de diffic. respir. c. 9. & lib. 3. de dieb. decret. ca. 13. & Hippocrat. in lib. de vict. acut. com. 1. text. 8. item 1. Epid. Sect. 3. text. 3.* §. 10. Quorsum etiam spectat istud adjunctū, dum morbus *contagiosus* dicitur, qualis non est sine putredine eccellente, quam *juxta* cor consistentem necessariò sequitur febris. *Unzer. l. 1. de pest. c. 10.* prout febris est morbus cordis, hoc autem viscus nobilissimum vitæque officinam præcipuè impetit putredo contagiosa, seu venenata. Benè igitur *Galenus & universaliter collegit, omnes pestiferas febres originem à putredine ducere l. 1. de diff. febr. c. 5.* Hinc cum uniuscujusque morbi pestilentis comes sit maligna & perniciosa febris ex ea contagione profecta, quæ inspiratu cor primum attingat, jure debent omnes hoc **GENERE** pestilentis Febris censerì, *verba ponderosa sunt Fernelij de febr. l. 4. c. 18.*

§. II. Ita namq; videmus comparatū, uti Pestilentia; virus aëri inspersum, cum vitæ nostræ firmissimū propugnaculum, Sensuum centrū illud, aranei instar, omnes minorū telas è meditullio moderans, & singulis julto succursu prospiciens, atq; adeò primum corporis humani mobile, undè omnes actionum vitalium agitantur Sphæræ, **COR** dico, vel admotis manifestâ hostilitate putredinis machinis, vel ex insidiis & actis veluti cæcarum qualitatum cuniculis invadere statuerit & oppugnare, tum quidem per narium follē incendium malignū inspiratione nunc exsuscitet, spirabile viscus pulmonem nonnunquam adoriens, cordis culcitram illam & ventilabrum; nunc verò perspirationis singulari stratagemate per venarum & arteriarum oscula, veluti portulas quasdam abstrusas, intrò subiens, spiritus animæ & corporis appa-

apparitores, triariosque auscultatores ex improvise opprimat; humores quoque plerumque igne qf. Græco de subito succendat, & solidam naturæ humanæ arcem penitus evertat atque solo exæquet, mirâ semper strage, & à calvo ad calvum contagiosâ internecione.

§. 12. A qua contage quoque fluit, quod febris fiat *Epidemia*, vel ut noster habet *δημόσια*, quæ per initia non erat talis, nisi potentiâ saltem: contragiosa enim est & perniciofa, sed nondum popularis. *Rodericus Fonsæca* 49. *consult.* Ita que accidens popularitatis naturæ pestis prorsus est extrinsecum. Nam si vel unus saltem in civitate morbo, in quo pestilentie essentia est, corripitur, cum pestilente febre non negandum est laborare, quamvis ea nondum actu *Epidemia*, seu popularis sit, sed potestatem saltem habeat se in populum passim diffundendi, ut rectè censuit *Eustachius Rudius* l. 3. *pract.* c. 30. §. 13. Qui & ipse lib. de febr. cap. 20. febris pestilentis essentiam putredinem esse dicit rei venenatæ, cor insigniter lædentis. §. 14. Quin conspiratio qf. recentiorum ferè quorumvis medicorum cum veteribus hîc apprehenditur, pestilentie febrem à putredinis malignæ & profundæ excellenti atque inexplicabili gradu provenire; nec pestem sine febre esse. §. 15. Nam præter *Horat. Augen.* lib. cit. 4. *Epist.* 1. tom. 1. *Fracastor.* l. 2. de morb. cont. c. 3. *Anton. Portus* lib. de peste c. 3. *Jordanus tract.* 1. de pestis phenom. c. 4. *Marcellus Capra, Alex. Massaria, Fernel.* l. cit. item *Petrus Paulus Pereda & Johannes Paschalius Hispani, Gualther Bruele, Craio* *Epist. Med.* 133. *Felix Plater* l. de febr. 1. c. 10. *Nic. Massa* de febr. pest. c. 1. 2. & 3. *Minderer* de pest. c. 5. *Rondelet.* de curand. febr. pag. 803 & 805 & *Guilielmus de Saliceto Placentinus* de febr. c. 26. *Casalpinus* quoque *γλωσσηρικῶς* docuit febrem pestiferam solâ putredinis malignitate, non loco à cæteris differre. vide quoq; *Scherb.* *thes. Med.* p. 143. §. 16. Qui vir acutissimus tamen cum aliis nos non moveat, qui febrem pestilentem non tam genus pestilentie, quam speciem ejusdem esse contendunt; cum & ipsi fateantur esse eam principem & frequentissimam, adeoque pestilentiam plerumque esse febrem. §. 17. Adduntq; si pestis adhuc sit privata, eam potius cum *Galeno* 3. *presag. puls.* c. 4. & 3. *Epid.* s. 3. c. 57. febrem esse pestilentem sine peste; quæ si publica existat, tum veram esse pestilentiam: quemadmodum si unus in repub. seditiosè se gerat, qui tamen nullos complices & gregales nactus fuerit, non dici posse seditionem, sed civem quidè seditiosum, sine tamen seditione. §. 18. Ubi & hoc obiter animadvertendum, *Da-*

videm Crusium in Theatri Hermetico-Hippocrat. l. 1. c. 22. non habuisse, cur novitatem hujusmodi partitionis pestilentiae qs. à se effictam usque adeò defendisset; cum præter Mart. Ruland. tract. de lue Hung. c. 8. quast. 3. aliq̄ quoq̄; Cæsarei Medici, Cratonis sc. autoritas consil. 275 & Scherb. l. cit. atq̄; etiam Sennertii divisionem hanc pestis in privatâ & publicam per se non impugnantis l. 4. c. 3. de febr. ei succurrere debuisset.

§. 19. Quod verò & alias species subjacere pestilentiae dicunt, anginas, dysenterias, pleuritides, hepatitides, phrenitides, colicas etiam apud Aërium, exulcerationes item pulmonum & expositions sanguinis pestilentes &c. Hæc omnia non tam sunt species morbi, quam ejusdem ex parte symptomata, quorum aliquot interdum concurrunt, de quibus suo loco dicitur. §. 20. Adde quod ipsæ utraque manu largiamur pestem non semper esse certum quendam morbum & ejusdem ideæ, sed omnem morbum eam posse fieri, modò has duas proprias notas induerit, ut sit & communis & simul plerisque exitiosus. juxta Galen. com. 3. in 3. Epid. aph. 20. Nam & hujusmodi febris communis omnium aliorum morborum præcipuè inflammationis comes est. Per textum nostrum Hippocraticum antea quoq̄ cit. §. 21. A quocunq̄e igitur morbo incipiat pestis (cum & in Atticâ Thucydidis atq̄; Venetâ Mercurialis tract. de peste c. 13. quilibet morbus in pestem degenerarit) certum est malignitate præsentem semper peti cor per naturam veneni, illudq̄e consequenter febricitare. §. 22. Unde autem & quomodo hæc corruptio vel infectio contingat, non minus eloquenter, quam appositè sapientissimus Senex noster expressit, omnium morborum aliquam communem dari originem tradens, nempe Aërem, prout ille vel copiosior, vel potior, vel cumulatior, atq̄e morbo- sis inquinamentis & contagiis infectus corpus ingrediatur. Mercuriali interprete loc. cit. lect. var. Nam cum omnia præter ignem putrefiant, putrefactio autem sit ab humido, jam aër non per se ut igni plenus putrefit, sed prout est rarus, admittit omnes peregrinas qualitates, & ad putrefactionem proclivis est, ceu patet in pestilentis, testimonio Cas. Scalig. ex LX. §. 3. §. 23. Ut rectè Philoni λοιμός αέρος & Δάναϊς effectivè fuerit appellatus. Quod vel in triplici pestilentiarum diversimodè ortarum genere maxima semper vis & autoritas aëri est adscribenda; non tantum cum coeli ipsius halitus ob varia inquinamenta re ipsa putridi inspirantur, & à ventis quoq̄e salubribus hinc illinc impor-

importantur; vel (2) idem aër alterutrâ saltem intemperie diuturniore;
 nec tempestivâ; corporibus humanis vi putrefaciendi pestifer factus
 est; verùm etiam (3) si corruptelæ victus idem aër, licet purissimus, su-
 perveniat, vel frigidior, spiramenta cutis obstruendo, vel calidior, pra-
 vos & vitiosos & ad putrescendum paratos succos facilimè in mali-
 gnâ putredinem præcipitando. *Subtilissimo Scherbio Suffragante*
thes. med. p. 146. 47. 48. §. 24. Quod ipsum quoq; è *textu Hippocrat.*
 constat. Nam si & alterum febris genus, non commune, sed *σποραδι-*
κόν, proprium iis, qui malâ vivendi consuetudine utuntur, originem
 quoque suam ab aëre trahat; eò minus ex *sententiâ Hippocratis* pestis
 ex malâ victûs ratione generabitur, tanquam morbus communis, qui
 non nisi à causâ communissimâ exurgere queat, qualis non est victus,
 cujus apud alios alia sit ratio, *uti demonstrârunt Donatus ab Alcomari,*
& Hor. Augen. §. 25. Et quamvis *Avenzoar*, ex Arabum classe dis-
 putator subtilissimus, in *Theizir lib. & tract. 3. c. 1.* triplicem febrium
 pestilentium proventum ex corruptione aëris, malitiâ & putrefa-
 ctione aquæ, aut etiam ex corruptione ciborum afferat: attamen *c. 2.*
 descensu in puteum aquarum putrescentium, Syncopen attractione
 aëris corrupti fieri probat; neque tam subitò hominem defectu vi-
 ctûs, quàm anhelitûs, moriri: cùm cibus & potus sit nutrimentum
 corporis, aër autem spiritûs vitalis. §. 26. Quod si tamen victus
 quoque pravus communis, plerumque squalore infectus, uti in obfi-
 dionibus diuturnioribus, in castris, annonæ caritate, infectione fon-
 tium detur; tùm *cum Galeno in l. 2. de nat. hum. t. 3.* & communes
 morbos, pandemios simplices & febres pestilentes inde oriri posse,
 concedimûs *cum J. Assuero Ampsingio de morb. diff. part. 1. th. 198. &*
Laur. Jouberto de peste c. 5. ita tamen, ut adhuc ad Epidemiam consti-
 tuendam primas aëri deferamus. §. 27. Qui partim manifestè pe-
 stilenciales putredines modo dicto perficiat, atque vitio *αΨερμην*
 quantum vis exiguam, vel per se brevem, (*ut placuit Galeno de diff. febr.*
l. 1. c. 4.) ad morbum tamen concitandum haud ita levem submini-
 stre; partim etiam occultè è corporibus jam infectis conceptas, sibi-
 que facilè communicatas, morbidas excretiones hinc inde diffundat,
 & per totas regiones disseminet. §. 28. Qualia *μιάσματα* Hippo-
 crates *h. l.* ut & alibi *νοσερας ἀποκρίσας καὶ ἀπορροίας* concessit, quas
Alexander vocavit *λοιμικὰς*, *Aristoteles* *πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρὺ*, *Lucre-*

eius Epicurum inicitus semina, Democritus atomos, alii seminium, recre-
mentum, effluvium, inquinamentum. V. Mercurialis & Scherb. l. cit.
Præclarè quoque *Josephus Struthius Posnaniensis* hanc *Hieron. Fracast.*
sententiam non novam, nec *Epicureorum* figmenta interpolantem,
sed veterem & *Galeni* dogmatibus, in *de differ. febrium, ut & Hippocr. l.*
2. de natura human. congruam defendit contra *J. Bapt. Montanum* in
metaphrasi quartæ partis lib. 1. Avicenne. §. 29. Horum ipsorum
inquinamentorum, vel è corporibus infectis effluviorum contagioso-
rum vehiculum quoq; primarium est Aër, tam in contage simplice &
immediata Contactûs, quàm mediata per Fomitem & ad distans. De
prima & ultima specie nemini dubium oborietur, de media tamen
alii aliter pronunciant, qui fomitem non minùs, quàm aërem volunt
esse vehiculum. §. 30. At illi scire debebant, fomitem non minùs
atq; alias contagionum species maximè aëre, vel spiritu ad succensio-
nem indigere, qui spiratione sensibili & insensibili venenum promo-
veat & affricet: itaq; aër esset vehiculi illius vehiculum. §. 31. Nec
interim negamus, fomitem hujusmodi dari in corporibus contagio
excipiendo, retinendo & transmittendo vel communicando aptis
natis; qualia sunt non inanimata saltem, victum & amictum attinen-
tia, sed & animata, hæc q; non tam exteriora brutorû, quàm interiora
quoque hominum, in quibus quod seminarium aliquandiu latitare
valeat, post *Mars. Ficinum. Nicol. Florent. Joan. Bapt. Montan.*
Andr. Gallum. Trid. Th. Erastum. Octav. Roboretum. Jos. Quercet. Evan-
gelist. Quatrammum. Felic. Plater. & D. Sennertum duabus disquisitio-
nibus apertè deduxit *Joachimus Olhavius Dantisc. & Franc. Valleriola l.*
3. loc. com. c. 18. Talentonius quoq; l. 4. rer. abscond. c. 14. §. 32. Illud
denique circa contagionem è veritatis Hippocratico puteo est hauri-
endum tenendumque, quod similis dispositio subjecti recipientis a-
genti per mutuam responsionem accommodata præsupponatur. Nam
in habentibus Symbolum, facilis est transitus *juxta Aristotelem.* Nec
ulla causarum sine patientis aptitudine agere potest: alioqui ex æquo
omnes afficerentur ab eadem causâ. *Gal. de diff. feb. l. 1. c. 4.* Quæ cau-
sa est, cur non omnibus animantibus, sed genericuidam ipsorum acci-
dant hi morbi. Quia *ut est in textu præsentis Hippocr.* differt corpus à
corpore, & natura à natura, nutrimentum à nutrimento; non enim o-
mnib; generibus animantium eadem sunt commoda, aut incommo-
da,

da, sed alia aliis conveniunt. *V. quoq; Galenus l. 1. de diff. febr. c. 4. & Quercet in pestis alexic. p. 34. §. 33.* Nam ex morborum pestilentium differentia & corporum εὐπαθεία, simul etiam inter se analogia effectuum incredibilis nascitur varietas, ut pestilentia nunc bobus infecta sit, nunc equis, nunc ovibus, nunc porcis, nunc aliis, ita inter ipsos homines, nunc pueri abripiantur, (*Variolas enim pestem puerorum nominat Avicenna*) nunc sanguinei & nitidissimi quique: nunc omne genus, ut vix tertia pars reliqua maneat. *Phil. Scherbius loc. cit.*

§. 34. *Perniciosum quoque in definitione adjectum, è loco Hippocratico, vi vocabuli Hellenici: λοιμὸν enim vel λοιμώδης omnes eos vocant, qui exitiosi. Nam Galenus scriptum reliquit in Epidem. Pestes appellant omnes homines pravos, sciuntque exitiales morbos esse, & etiam ad Deos sæpè referunt de curatione eorum consulentes. Rondelet. de curand. febr. p. 805. §. 35.* Quo ipso nobis suppeditatur occasio ad alia transeundi, & nos excusandi, quod non causas illas pestis efficientes, tam siccè intellectas, simplices & nudas ponere, atq; ad eò omnia ad manifestas elementorum deducere voluerimus qualitates, quibus, qui universa metiuntur, elementares sunt ipsi sanè, nec quicquam aliud, nisi elementa. *Ut Scal. loquitur Exercitatione 345. §. 9. Et de Insomniis ad Hippocraticam p. 127. §. 36.* Quæ igitur ad generationem pestis reliqua sunt, & quomodo illa inquinamenta putrida, peculiariter τῆ ἀνθρώπινῃ φύσιν πολέμια καὶ ἀήρ ἀνάεμος fit juxta Theorema hoc primum Hippocraticum, ex ipso Galeno enarrare satagentes sub-
jicimus aliud

THEOREMA II. DE CAUSSIS SPECIATIM.

Ελλίπω ἢ τὴν ἰασιν ἔγραψε τῶν κοινῶν νοσημάτων, ὅταν ὑπὸ τῆ περὶ ἐ-
χοντ ὅ γίγνηται. Πολλάκις μὲν γὰρ ἀναθυμιάσεις τινὲς ἐξ ἐλῶν, ἢ
λιμνῶν, ἢ τελευμάτων, ἢ γῆς τοιαύτης αἰτίας γίνονται τῶν τοιούτων νοση-
μάτων. Ἐστὶ δ' ὅτε μόνη τῶν αἰσῶν ἡ κραισὶς. Ἐπὶ μὲν ἔν τῶν ἀναθυμιά-
σεων, ἰ ΔΙΟΤΗΤΙ μᾶλλον ὅλης τῆς ἰσσίας, ἔχ' ἀπὸ λῶ ΠΟΙΟΤΗΤΙ
λυμαινομένων τοῖς σώμασιν. ὀρθῶς ἔγραψε τὴν θεραπείαν, εἰς διττῆς ἀ-
νάγων σκοπῆς. ἀμοιβήν τε χωρεῖα, καὶ χρεία ὀλίγη τῆς εἰσνοῆς.
ὑπὸ δὲ τῶν ἀπὸ ποιότητ ὅ βλαπτομένων ἔ μόνον ἢ θεραπεία τῶν γε-
γονότων ἤδη νοσημάτων, ἀλλὰ καὶ ἡ προφυλακὴ ἔ μὴ ὅλως συστῆναι,
ἀλλὰ τῶν ἐναντίων ἔσται ποιότητων. **GALENUS.**

SUMMARIUM.

CAUSARUM fastigia pressius percurruntur: illa non nova *Fernelii*, sed vetustissima Græcorum, Arabumq; de totius substantiæ cæcâ proprietate sententia, & quid *Hippocr. θεῶν* sic explicatur.

§. 1. E superiore theoremate *Hippocratis* Efficientem (quæ una est omnes, & omnium instar causarum medicis) causam, tam internam pestis, quàm externam venati sumus; (putredinem tam antecedentem, quàm accedentem ut *Scal. vocat Exerc. 23.*) hanc vel ipsâ putridam, vel potestate putrefaciendi præditam, Aërem sc. vel coelum; illam autem magnam & vehementem putredinem, seu humorum corruptelam intrinsecus natam. Hanc antecedentem seu additam cum *Celsô*; illam primitivam vel προκαταρκτην causam morbificam dicamus à *Gal. lib. 1. M. M. cap. 8. & com. 2. ad lib. 2. de nat. hum.* §. 2. Utramque causarum, non bilanee molitoria, sed aurificis statera expendens *Coesenis Pergamenus discipulus*, omnium verè medicorum *Magister*; non nihil adhuc videtur desiderasse *Com. IV. lib. 2. de Nat. hum.* §. 3. Tametsi namque non neget, ab aëre ambiente nasci morbos communes; attamen ad exhalationes potius ex aquâ & terrâ vitiatas sublatas, & aëri commistas, corporibusq; humanis proprietate magis totius substantiæ, quàm qualitate, seu intemperie infectas & perniciosas oculos putat reflectendos. §. 4. Quòd si à solâ qualitate corpora offenderentur, tum contrariis qualitatibus & tactorum & futurorum inde morborum curatio & cautio facilis esset futura; Hoc autem cum non ita eveniat, itaque nec ex simplici putredine, seu manifestâ qualitate, nasci putavit pestilentiam, sed accedere causam aliam, venenatam scilicet, adeoque totius substantiæ perniciosam Qualitatem, quæ itentidem totam corporis Substantiâ, seu, ut *Galenus* alias appellare solet, temperamenti, totiusve substantiæ proprietatem offendat ac corrumpat. §. 5. Prout ea singula è *loc. cit. Galeni Leonhardus Fuchsius in instit. med. lib. 3. sect. 1. c. 10.* commemoravit, primùm ut inde intelligant, se nihil novi afferre, qui pestilenciales febres hodiè magnò fastu inter morbos totius substantiæ collocant. Deinde ut non solum ijs, quæ putredinem sanant; sed & ijs, quæ totius substantiæ proprietate contraria sunt, febres pestilenciales abigendas sciremus. Postremò ut in ijs febribus per os & nares valdè excitetur exspiratio, quæ & pulmones, partesq; corporis vicinas venenatò aëre refertas exinani-

at, mox aër igni expurgatus aut odoratus inspiretur. §. 6. Causæ autem hujusmodi, quæ non ex simplicibus elementorum, aut aliorum quæ sub sensum cadunt, mixturis nascuntur, verùm altius posita, & eorum, quæ sensibus patent, naturam & ordinem prætergressæ, ut ne quidem mentis intentione comprehendi aut explicari exactè possint; abditæ, obscuræ, & delitescentes, item cæcæ à peritioribus nuncupantur, & qui indè prodeunt, morbi cæci. *Fernel. meth. med. & de abd. rerum causis. Et Franc. Valeriola l. 3. loc. commun. c. 3. f. 517. & 518.* §. 7. Qui & Divinum illud, quod *Hippocrates l. 1. presag. num. 7.* in morbis quibusdam haberi dixerat, nō aeris conditionem è calore, frigiditate, humiditate & siccitate modum superantibus proveniente innuere, etsi *Galenus in commentario ejus partis* id existimaverit: Sed eà conditione ampliùs aliquid significari concludit, nempe adversariam atque deleteriam quandam in morbo inclusam naturam, quæ nobis prorsus ignota, soli Deo cognita, cujus arcano consilio morbis inserta sit. Quam *lib. de nat. hum. idem Hippocrates nomine morbide excretionis* fit dignatus, i. e. vitiosæ cujusdam naturæ non manifestæ Qualitate noxam interentis; sed totâ suâ substantiâ, cæcæque potestate corpora nostra dissipantis atque corrumpentis. §. 8. Cui per omnia adjeicit calculum *Nobil. Sennertus p. m. l. cit. p. 790.* Plerique interpretes, inquit. postquam ultrò citroque hâc de re disputârunt, concedunt, per τὸ θεῖον aeris constitutionem intelligendam, sed talem, quæ occulto modo, & totâ naturâ nobis adversa est; Hippocratemque hoc monuisse: Medico esse perpendendum, an morbus aliquis proveniat ab occultis aeris qualitatibus, ejusque secundum totam substantiam mutatione, quæ à cœlo proveniat, vel aliàs sit admiratione digna §. 9. Nec enim (vel *Galeno quoque loc. cit. ad stipulante*) quæcunque causas habent abditas & obscuras, Divina statim vocamus; sed ubi admirabilia videntur duntaxat. Qualia sunt à cœlo provenientes, quæ nos ob naturæ suæ & effectuum præstantiam in sui admirationem transversos abripiant, ut non nisi soli Deo perspecta cognitaque esse concludamus. atque sic Divina vocitemus. Sicuti *Aristoteles 2. de gen. anim. c. 3.* omnem animæ vim corpus aliud participare, idque magis divinum, quàm elementa, scribit §. 10. Hæc itaque sunt in definitione & textu *Hip* superiùs allegat. illa toti humanæ naturæ peculiariter & occultè adversaria & inconvenientia, eidemque insuperabilia, quæ alibi Di-

vina idem Hipp. vocavit, seu coelestia. §. 11. Quamvis ergò Deo, ut in progressâ Disputatione à nobis factum est, etiam hîc nihil non tribuamus; magis tamen Theologicè, quàm Medicè, nec hilò plus ex Authoris mente τὸ θεῖον Hippocraticum quidam virgam & flagellum in Dei manu interpretantur. §. 12. Quantò rectius Avenzoar in *Theysir. tract. 3. lib. 3. cap. 2.* sensit; ubi aquas mortuas & immotas, putridas & foetentes causam corruptionis aëris & pestilentiae omnibus aliis epidemiis deterioris dixisset, ibi statim subjunxit, quòd species detur epidemiae, quæ subitò interficiat, eò, quòd quãdo cordi eveniat aliquid ex aëre putrefactò & corruptò, quod suæ complexionis & naturæ obviat, à totâ suâ substantiâ & naturâ, id subitò moriatur. Quæ res procedat ab illò, qui est summæ & ultimæ scientiæ, scil. à Deo vero & benedicto: & ab aere inspiretur. §. 13. Quæ sententia quoque fuit *Stephani Atheniensis & Thadai Florentini*, dicentium, id *divinum* in morbis appellari ab Hippocrate, quod in aere quidem est, sed à coelò causatur, lisdemque *Mercurialis* pollicem premit, id ipsum vocans occultam quandam proprietatem aeri coelitus infixam, undè & *Virgilius* pestem morbum coeli appellaverit. §. 14. Ex *Avicenna* quoque sententia eandem causam *Montanus* vocat rem coelestem, quæ non est cognita hominibus, sicuti & *Crato atq; alii Fernelii* quoque sententiam approbaverunt, uti legere est apud *Job. Assuerũ, Ampsingium dialexi de morb. different. 207. part. 1. & 49. part. 2. V. & Petrus Vascus Castellanus Exerc. med. de thor. aff. tract. 1. p. 112. & seqq.* cur & quomodo totius substantiæ & formarum proprietates cœlo adscribantur? §. 15. Istud autem non possum quin h. l. non minus quàm *Fuchsius* urgeam, quod nihil sit causæ, cur de novitate inventionis causarum & morborum totius substantiæ tantopere sibi quidam applaudant, quasi non quòd pueri in fabâ reperissent; cum præter *Galenum & Avenzoar, loc. cit. vel adhuc citandis, Avicennas* quoque integris Capp. illud pertractarit, ut c. X. tract. 2. de med. cord. nec non c. XV. lib. 1. fen. 1. Doctrina 2. §. 16. Et illic præcipuè ultra cognitionem vulgariam & debiliter perscrutantium veritatem, i. e. ultrâ naturalitatem notam & usitatam, ad proprietatem extraneam minusque manifestam & frequentem progressus, tradiderit hanc in elementorũ virtute nõ inveniri perse, sed esse ab extra à manatione divinâ procedente in omnibus rebus, & extrahente cunctas virtutes de potentiâ in actum; quoniam ad actum essendi perveniant à principijs

cipiis activis, quorum causa Deus sit benedictus. §. 17. Altero vero loco ostendit, quod assumpta operentur in corpore humano vel sola sui qualitate, vel materiâ suâ, vel tota suâ substantiâ, i. e. formâ suâ specificâ, quâ quodvis acquisivit post complexionē. Quod diu antè scivit *Galenus 6. Epid. Sect. 6. com. 8.* docens, proprietates ex tota substantia progenitas, aut corporibus nostris congruentes, aut alienas easque, tribus materiis contineri, quæ purgatoriæ medicinæ sunt, aut alimenta, aut hæc, quæ Hippocrates maleficia vocavit. Vid. *Galenus 11. simplic. & 1. secundum genera c. 16.* §. 18. In eodem planè ludo edoctus videtur alter Arabs, *Averroes, qui in Colliget. seu Medicorum stimulo l. 4. c. 21.* differentias medicinarum ostendit operantium vel à materiâ, i. e. virtutibus elementorum, vel à forma specifica, per proprietatem quam Medici appellitant totam substantiam, & agentium propter proportionem & convenientiam, quæ est inter ipsas & patients. Eamque proportionē in mensurâ mixtionis Elementorū vult consistere, sed hanc impossibilē putat scitu. §. 19. Nam ut *ibid. in margine*, virtus illa resultat ex mixtione elementorum & influentiâ superiorum. Quæ ipsa paucissimis totam hanc materiam exhauriunt, mentemque nostram eandem penitus hîc revelant. Vid. quoque *Mesue in de consolidatione Medicinarum, intentione i. & c. de Rhabarba.* per proprietatem celestem. *Galenus 3. de simpl. medic. dis. 4. c. 4.* §. 20. Ex jam dictis causas unius rei pestilis complures & diversas, non autem contrarias colligere licuit; principem tamen unicam, reliquas ei subordinatas. Quæ omnes quantumvis non semper simul sint convenæ, quemadmodum nec æquè graves omnes sunt pestilentia; quo tamen nexu & qua statione ad debellandum genus humanum ista invicem coordinentur, dehinc velut in batualia ipsarum inest inspecturi, universim & sigillatim, sed conglobatim, ita tamen, ut ne quam omiserimus, perlustrabimus. §. 21. Remoto prius & illo obstaculo, quod pestis vel sit supranaturalis, vel saltem naturalis: quarum licet neutra absque DEO contingat, cujus justissima ira flagitia hominum hâc quoque virgâ castiget; hæc tamen prima originalis, & generalissima causa, in illa pestilentia magis, quam in hâc, quæ per causas secundas & cursum naturæ accidere potest, conspicua est. De illâ itaque magis in præcedanea quoque disputatione actum est, de alterâ secundum causas naturales sese habente, ab ijsque dependente, uberius nunc & ex professo agere

agere medici & præsentis est instituti. §. 22. Præsupposito quoq; eo, quod morbi cujusvis naturales causæ, aliæ sint intus, aliæ extra. Eæ, quæ intus sunt, & efficientes & materiales esse possunt, hinc quidem ut subjectæ sunt qualitatibus deferendis; illinc autem ut impediunt naturales effectiones. Atque hæ interioribus sunt vel antecedentes morbum, vel factæ jam morbo conjunctæ seu continentes: Causæ verò exteriores non nisi efficientium rationem obtinere possunt, & sunt omninò extrinsecas à principiis conjunctis ægritudini: quippe quæ prostant nocituræ etiã ante omne initium. Quemadmodum luculenter Scaliger Pater comment. ad Hippocr. de ins. p. 93 & 94. ea demonstravit.

§. 23. Inter pestis igitur physicas causas internæ sunt vel προνουσίμη, vel ουρεχίη: illa est vel disponens, ut corporis habitus & analogia atque latens etiam seminarium; vel promovens, ut imaginatio & animi motus. Hæc continens & ipsi morbo intima, quæ & aliis essentialis dicta, est peculiaris putredo, seu venenata potius corruptio internæ substantiæ, Spirituum, humorum, & partium solidarum. §. 24. Externa & vulgaris vulgare morborum adeoq; palmaria pestis causa est unicus Aër, ad generationem pariter & propagationem pestilis veneni concurrens. §. 25. Illic quidẽ partim solus vel purissimus, nec nisi primis & manifestis, inæqualibus sc. & inordinatis mutationibus insignem temperamentorum procurans anomalian in corporibus simul hominum, & rerum ad victum humanum requisitis, eadem ad recipiendam putredinem præparans, & ubi hæ elaborata atque aucta fuerit, eam sursum attollens, sibiq; uniens, & aliis inde communicans. Atque sic fit quoque ut partim deinde subsidiariis copiis adjunctus aër perniciosior irrumpat, contaminatus cæcis & plusquam quarto gradu venenatis qualitatibus effluviis, non tam humilium istorum à putredine infernâ vaporum elementarium, vel per se, vel per veneficos Physicè & Chymicè exaltatorum; quam etiam sublimium desuper, vel solo DEI nutu & jurisdictione, vel ab aspectibus siderum pravæ & infæustis conjunctionibus planetarum, & præcipue & Ἰ. item cometarum reliquiis, influentium. §. 26. Huc autem ad propagandum sc. venenum iterum aër vel solus, & alioqui, sed non nunc, salutaris, contagium immediatè ad distantissima loca diffusum promovet; vel mediantè contactu, inspirationisq; & perspirationis officio corporibus aliis obrudens.

§. 27. Explicarâ nunc autem secundum causas efficientes luis pestiferæ essentiâ, differentiæ pariter nonnullæ, ex his quæ jam dicta sunt, innotescere potuerunt, prout illæ rectius à causarum disparitate, quàm à sedium affectarum distinctione hauriuntur. Veluti planè haud facinus cum Droëto & aliis, qui peculiare species & differentias comminiscuntur pestilentiarum in corde, in jecore, in cerebro, in bile utraq; & in pituita residentium. Verarum tamen differentiarum melius discutiendarum causâ ponimus sequens

THEOREMA III. DE DIFFERENTIIS.

Diverse fiunt aegritudines (epidemia) & generantur: non solum secundum diversitatem ciborum; verum etiam secundum naturam locorum; & secundum complexionem atq; naturam recipientis. Quare tot & tanta possunt esse variationes, ut impossibile sit eas libro scribi. AVENZOAR.

SUMMARIUM.

Avenzoar laudatur, qui differentias pestis & contagii promiscue posuit & innuit. Ammiani, Jouberti & Unzeri distinctio affertur, & hæc corrigitur sufficienti concatenataque enumeratione specierum.

ΕΧΘΕΡΙΣ.

§. 1. *Author hic peculiari cognomento à majoribus sapiens & gloriosus appellatus, Petro Castellano teste in vit. illust. medic. & cui Avenrois lib. IV. Collig. c. 40. in medicâ scientiâ coronam censet concedendam, ob singularem doctrinam pertinace studio à pueritiâ ipsi acquisitam, & longissimam experienciâ ad annum vitæ 135. operationibus continuis confirmatam, ut meritò ipsius libris credendum sit* §. 2. *Hic cum l. cit. in Theysir, vel Thesaurò medicine, (ita namque hos libros, in quibus omnium propè aegritudinum curatio traditur, ab eodem Averroë nuncupatos colligimus è Collect. VII. c. 39) varias pestilentia differentias, secundum causas, tam elementares, corruptionis sc. aëris & aquæ, quam occultas totius substantiæ, per quatuor capitula singulari de Epidemia tractatu 3. l. 3. quemadmodum progressis duobus Theorematis loca quædam adduximus, commemorasset: ad duas postremò adhuc species Epidemiarum, ex nimia fame, & reliquiis sordium generationis natarum accingeretur, interim Theoremate hoc qs. vade interposito, ut plurium specierum & differentiarum enumeratione, scriptu dictoque impossibilium, supersedere posset, tractatum illum concludendo absolvit.* §. 3. *Videtur autem reliquas omnes penè species & differentias ad tria hæc capita causarum revocasse, quæ aliàs ad contagium (1.) excitandum. (2.) intendendum & propagandum, atque (3.) retinendū concurrere, requiri que soleant.* §. 4. *Primum est victus ex seipso atque sua natura & complexione malus, ut ex cadaverum ossibus fractis, vetustate peccantibus granis & leguminibus atque carnibus, aut quibuscunque per terram inventis oleribus, herbis, atque ra-*
C
dici-

dicibus: unde propter putredinem insignem non possunt non ob-
structiones & plenitudines cacochymicæ, atque consequenter pesti-
lentes contagiosæque ægritudines subasci. Nam si corpus solum-
modò per initia unum & alterum sic infectum fuerit, illud jam ali-
quid à se emittere solet, quod similem in alio corpore actionem pro-
ducere valeat. § 5. Alterum quod emittitur, *locorum naturâ*, seu
aeris ambientis, & viscidum istud *μίανμα* includentis, cœu vehiculi,
positione subinnuitur. § 6. Tertium est corpus, quod inficitur, cu-
jus ut subjecti patientis requiritur aptitudo ad excipiendum virus il-
lud pestilentiale; eaque sita est non tam in humorum prava disposi-
tione, perturbationeque, & morboſo apparatu, è terrore quoque &
metu imaginario, irâ, aliisque animi pathematis ad diætam pertinen-
tibus, tanquam causis adjuvantibus *juxta Joubertum l. de peste cap. 7.*
instructo; quàm singulari antipathia orta ex corporum infectorum
peculiari analogiâ, id *Avenzoar complexionem recipienti* indigitavit.

§. 7. Exindeque triplicitatem eandem specierum luis crediderim
posse deduci, quam *Theorem. VII. prioris disputationis philologica* jam-
tùm è *Marcellino* in apricum protulimus, pandemiarum scilicet, epi-
demiarû & propriissimè dictarum pestilentium; quæ non nisi gradi-
bus à se invicem disterminentur. Quorsum etiam collineavit *J. Fer-
nelius & alii.* §. 8. Sed fortassis alicui febrium pestilentium distin-
ctio specifica *Joubertina l. cit. c. 6.* magis arriserit, desumpta à subjecta
materia febrium triplici, & à symptomatibus: ut illinc febres aliæ sint
simplices, aliæ compositæ, utraque ad earum modum, quæ pestilen-
tes non sint; hinc autem quædam *περὶ φρυγῶδης*, i. e. cum papulari
efflorescentia, pro earundemque magnitudine, copia, colore, & appa-
ritionis modo discrepantes: Quædam cum tumoribus insignioribus
vel bubonum, vel carbunculorum, pariter sedibus, materiæ duritie &
duratione variantes. §. 9. Aliis plures differentias, non quidem
specificas, sed duntaxat ferè secundum magis & minus discrepantes
pervestigare libuit. Quos inter *Matthias Unzerus, civis & fautor no-
ster, dum in vivis esset, honoratissimus, Cap. XI. l. 1. de lue pest.* septena di-
versa domicilia febrium pestilentium extruxit, quæ tamen nullis divi-
sionis aptæ contiguæque intergerinis parietibus invicem continua-
ta cohererent. Itaque paucis eas sic contabulari concatenarique
posse judicârim.

§. 10. Differentiæ Pestis desumuntur vel à morbo ipso, vel à morbi circumstan-
tiis.

tiis Ille malignâ putredine nunc intensiore, nunc remissiore pestilentias efficit modo sa viores, modo leniores & leviores. Atque eadem iterum ratione accidentium, loci & temporis, sunt vel universaliores aut particulariores, vel diuturniores, aut breviores. Hæ circumstantiæ verò morbi perpendendæ veniunt vel respectu ordinis, vel materiæ: illinc vel secundum antecedens, morbi causas sc. vel secundum consequens, seu Symptomata. Ob causas alia pestis est interna ab humoribus intestinâ labe corruptis; alia externa à rebus nō naturalibus cōtagiosis. Ob Symptomata λοιμὸς Hippocrati fertur πολύμορφος, hoc vel illo Symptomate comitatus. Hinc autem materia datur vel in qua, ut Subiectum, vel circa quam, veluti Objectum. Ratione subiecti, sive Cordis in triplici substantiâ: solida, humida & spirituosâ, febris pestilens est hinc ephemera, illinc putrida, isthinc hecica. Ratione objecti alia pestis est hominum; alia brutorum tantum, aliaq; deniq; utrorumq;. Plura dabit

THEOREMA IV. DE SIGNIS DIAGNOSTICIS.

Pestilentiam imminentem significantia sunt de rebus, quæ vel currunt cursu caussarum, vel secundum semitam societatis. Sed (illis præsuppositis) præsentis signa sunt: Febris, quieta exterius, conturbans interiùs, ut plurimum perdens; ex quâ vel percipiatur plerumq; caliditas & inflammatio fortis, cum accidentibus indè natis; vel etiam quandoq; nec ager, nec tangens percipiat multitudinem caloris, neq; pulsus aut urina valdè alterentur, sed ipsa velociter interficiat, medicis in esse ejus hæsitantibus. AVICENNA.

SUMMARIUM.

Pestis ad futurâ & jam ad sentis prodromi & comites, potentiales & actuales, generatim & speciatim utrinque percensentur, *Duce quidem semper Avicennâ: ubi inter posteriores Tyrannidis pestilis satellites Symptomata pleraq; omnia, alibi huc rejecta, connumerantur ex eodem Arabe.* Præter quæ signa adhuc alia afferuntur, quibus diversæ febrium pestilentium species à se invicem discernuntur.

§. 1. Quæ superioribus tribus Theorematis in Pestis requisitis, causis & differentiis prælibata & prænarata sunt omnia, ea nunc meliore ruminacione in succum & sanguinem vertere conveniet, ubi de signis diagnosticis simul & prognosticis differendi datur locus.

§. 2. Quatenus enim pestis futura prædicatur, eatenus signa cum causis reciprocè plerumque concordant: quatenus verò ea præsens ab aliis morbis & à speciebus discriminatur, eatenus pestis signa pathognomonica ab aliis affectionibus differentia sequestrantur.

§. 3. Nec eo quippe fini Medicus de naturâ Pestis tractat, uti sciat

nudè, quid illa sit, sed (*Sennerto, l. 4. c. 6. de febr. judice*) ut imminen-
tem præcaveat, & præsentem tollat: id verò præstare nequit, nisi & e-
minus è signis, quæ præsentia causarum recensitarum, vel etiam hæc
subsequentium effectorum suggerit, morbum prævideat; & hunc
cominùs congregiendi è signis differentiarum agnoscat, atque dehinc
quòs exitus eum maneat, simul prænoscat. §. 4. Signa utraq; *Me-*
dicorum Arabum & Persia Princeps, vir, si *Gentili credimus*, grandis inge-
nii & omnium mundanarum scientiarum habitu *luminosus*, perspicuè,
si vestem barbaricam demas, proposuit *l. IV. Fen. I. tr. 4. c. 2. & 3.* undè
medullam *Theorematis hujus IV.* luximus. §. 5. Nam signa digno-
scentia cervicibus incumbentis pestilentia, & jam ad limina adstantis,
capite quidem *tertio* sub duplici vexillo adducit, excurrentia partim
causarum principalium nomine, partim ut auxiliares sociæque ma-
nus, quæ præter quàm quod signa sint, concausæ quoque meritò jure
dici possint. §. 6. Illinc quidem cœlestes turmas deducit, hinc au-
tem copias terrestres. Ista pestem evenientem indicatione causæ in-
dicantes sunt: exsuperantia apparitionum ignearum, ut stellarum ca-
dentium, aut comatarum, Austrinarum constitutionum, turbidi Aë-
ris nebulositas, & pulverulenti pluvia, ejusdemque nunc calore, nunc
frigore excedentis subitanæ alterationes & multijuges conturba-
tiones. Hæc verò secundum semitam societatis causæ signa sunt: Si
ranæ & reptilia ex putredine generata jam multiplicentur, mures
& animalia sub terrâ stabulantia ad superficiem fugiant, & qs. ebria
vacillent, aves nidos atque etiam ova sua deserant. *Hæc ex Avicennâ.*

§. 7. Aliis illa modò visa signa pestilentia præsaga nuncupantur
generalia & potentialia; quibus alia subjiciuntur *Specialia & actualia*.
Nam ut illa ad pestem generandam generaliter derivantur à causis, si-
quidem sine impedimento ad actum traducantur, & ab effectis illas
comitantibus; ita hæc specialiter prænuncia ad eundem modum
dispescuntur, & desumuntur à causis & eventis, sed magis in actu posi-
tis; & ad intendendâ propagandamque; alibi jam tum generatam, pe-
stem referuntur. De singulis aliquid ampliùs. §. 8. GENERALIA
à IV. Elementis, sed veriùs ab unico Aëris elemento, vel à se putrefa-
cturi, vel aliunde putrefacti; illinc intemperie propriâ; hinc verò tam
vicinorum elementarium corporum exhalationibus pestiferis, quàm
superelementaribus cœli virtutibus καὶ τῷ θείῳ coinquinati petuntur.

§. 9. Ad Ignis naturam igitur referunt *Signa Cœlestia* : maligna siderum comitia & aspectuum minas, luminarium crebra deliquia, præter cometas & capras saltantes, vel stellas cadentes, pareliorum & halonum atque chasmatum apparitiones, præsertim autumnales, trajectionum item inusitatarum, trabium ignitarum, lancearum ardentium, aliorumque ὑποκαυμάτων in superiore aeris regione generationes, ut ignis in aere instar columnæ vel draconis erecti. §. 10. Hæc quamvis aerem insigniter alterent, non sunt tamen causa pestis, nisi per accidens : cum aeris, quæ indè arguitur, siccitas sit prohibitiva potius causæ pestilentiæ ; quia tamen ea ipsa reddit aerem subtilem & aptum ad imbibendas qualitates ventorum malorum putridorum, aut deleteria quoque vaporum plurimorum, siccitate istâ sublatorum, vel desuper unâ infusorum semina recipienda, atque sic deinde ad mutationem quoque corporibus hominum facilius inducendam. Eò quod ficcus aer recipiat magis impressionem influxus pestiferi, quam si esset humidus. Itaque signum & causa fit pestilitatis. *Quemadmodum ea omnia pererudite, quamvis non ita eleganter Bertrucius Mediolanensis in Dono DEI, seu tractat. de febr. 1. cap. 4. limitavit.* §. 11. Aeris autem, qui in hac Tragedia Protagonista est, signa sunt vel incorrupti, vel corrupti. Illius ἐν ὥρῃς καὶ χῶρῃς naturalem temperiem non servantis, nec rectè se habentis constitutio, & maximè austrina, qualis ἀνωμαλία ab Hippocrate 3. Epid. à. 1. 1. ad 7. depicta, sicuti & Galenus passim in monumentis suis annum australem in peste procreanda primas partes vult obtinere : Hujus copiosior nebularum crassarum ac foetidarum, ut & pluviarum prodigiosarum ac putrilaginosarum generatio.

§. 12. Utrinque enim aer non parùm ad semetipsum & alia contaminanda valet ; propter correptionem & corruptionem, hoc est, non-resolutionem fuliginum & vaporum, repentinis mutationibus conturbatorum, & postea deturbatorum. Cujusmodi impressiones aerearum mutationum malarum cursui naturali contrariarum, aut propter conversionem in substantiâ aeris, aut in qualitatibus ejus factam quæ contingant, quam optimè decidit Avicennas lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 9. & post eum Guilielmus Brixienfis c. 1. de pest. ubi simul ostendit, quo pacto Aer, intus & extus nos tangens, sit agens, & signans fortissimum, quod non solum agat in materiam dispositam, sed eandem quoque disponat. §. 13. *Aqua quoque dantur prognostica, sed non*

minus ad aerem pertinentia: ut Cataclysmi & insolentes aquarum eluviones, multas sordes rapiditate sua secum devehentes, & postea, ubi se in alvei sui carceres receperint, in arvis relinquentes, atque sic aerem tetra vapore contaminantes. Quod etiam præstant aquæ stagnantes, palustres & immotæ, vel quæ ab animalibus venenatis, aut aliàs ob veneficium quoque vitium contraxerint, aut aliundè foetorem emittant, in excrementa quoque varia, ut stellarum ejaculations Nostratibus dictas, &c. despumantes. Item balæne & pisces quicumque magnâ copiâ de mortui, qui aquas corruptas, & aerem corruptentes pariter indicant: uti quoque illud arguunt solitò plures in illis ranæ, & si Phocæ è mari in flumina tendant; cancri, avesque aquatiles in continentem desertis Nereidum latebris egrediantur.

§. 14. *Terrea* denique signa sunt, si quæ aerem inficere possunt, inde præcesserint, tetri nimirum vapores, è terræ, in primis motæ, barathris, hiatibus, & antris charoniis, cadaveribus inhumatis, cloacis & tumbis apertis, aliisque rebus venenatis putrescentibus exhalantes, inque nubes densatis, & iterum delapsi, sata, arbores herbasque infecerint, ut illarum vitium, marcor & corruptio omnibus sit in propatulo, atque hinc insolita sterilitas, & simul Fames, atque pravorum ciborum usus vulgò frequentatus succedat; tum certè secundum proverbium *μετὰ λοιμῶν ὁ λοιμὸς*. V. Sennertus l. 4. c. 6. de febr. §. 15. Sed ab eventis effectibusque propria & certiora desumuntur signa terrestria vel inordinatæ tempestatis, (ut si Rosæ, violæ atque flores circa autumnum denuò progerminent,) vel copiosæ pestilisque putredinis, ut si fungorum, boletorum, aliarumque rerum graveolentium, item vermium, tinearumque, ut & muscarum, cimicum, arancarum, papilionum, blattarum, locustarum, erucarum, scarabæorum & aliorum reptilium putrilaginosorum frequentior soboles conspiciatur, quæ annonam insuper flagellant, & eo ipso quoque malum portendunt. Si que nec talpæ & similia animalia in cubilibus suis subterraneis amplius hospitari velint, sed emigrare parent; sicuti totos murium exercitus hoc tempore passim huc illuc commeare, atque adeo commeatum penè omnem intercipere videmus, qui multas ob causas indubitata pestis signa & causæ esse possunt. §. 16. Ultra jam enumerata varia indicia, quæ præsertim ab effectis captata fuere generaliter & alicubi quoque specialiter, SPECIALIORA adhuc videntur illa, quæ
aerem

aerem corruptum infectantur, ut bufonum, viperarum & araneorum augmentum, quos natura causæ congeneri deleterix voluit sufficere alexiterios. Ita obsoniorum quorumvis die non diu expositorum, panis præsertim recentis, nec non carniū, leguminū, fructuum, ovorumque corruptio, situs, muciditas & verminatio. §. 17. Adquæ effecta quoque connumeret morbos cognatos morbillorum ac varicellarum, adultiores quoque affligentium, ut & crebrarum phlegmonum ac carbunculorum, ulcerumque & febrium continuarum petechialium, vel potius (*cum Massâ ut loquamur*) pestechialium, aliisque symptomatibus nobilium, abortuum itidem; & gravidarum, virginum quoque & puerorum, molliorumque densa funera. §. 18. Sed specialissimos inter pestis prodromos à causis ipso actu existentibus & jam grassantibus maximè certum & inevitabile penè signum est incendium serpens proximi parietis: nam si in confinio pestis sæviat, nisi per ventos atque commercia ad finitimos eodem simul anno propagetur, saltem insequente plerumque cum vestimentis & hæreditatum reliquiis ad alios exportatur. §. 19. Istorum autem signorum, quo major est syndromè, quoque majora ac vehementiora singula & universa apparent, eo quoque calamitosior ac pestilentior annus metendus est. *Consentientibus in eo Sennerto l. cit. & quem citat, Ant. Gallo de peste, fascic. 3. à c. 9. ad 17.* §. 20. Quomodo verò pestis jam præsentis signa (quæ inter initia paucorum adhuc clade notata, satis quidem obscura sunt,) prudenter dijudicentur, & accurate à signis aliorum morborum discernantur, hoc opus, hic labor est: cum Protheus iste nullos non morborum & symptomatum vultus assimilet, ut nisi iam manifestæ pernicietis & præsentaneæ contagionis nervum erumpat, in primis ægris vix soleat deprehendi. §. 21. Cum autem febres malignas & pestilentes non nisi gradibus differre dixerimus, quare symptomata habent permixta, nec planè diversa; nisi quatenus ultra febrim ejusque causam putredinem, venenum quoque peculiariter insuper sistat, vel solito saltem graviora. §. 22. Plus itaque justo arguantur, qui pestilentix rationem per febrim negant posse declarari. Ut enim in vulnere, (ajunt) quod gladio venenato inflictum est, aliud est vulnus, aliud venenum: ita in pestilente febre aliud pestilentia est, aliud febris. Quo libenter concessio, subsumimus: Sicuti vero plaga illa vulnus venenatum rectè definitur, ita nec malè morbus ille

malus

malus febris epidemia & pernicioſa dicetur. Et ut inibi Chirurgus alexipharmacis intus aſſumptis veneno occurrit, nec tamen externum vulnus penitus negligit, ſed turundis expurgat, emplaſtris & linimentis extrinſecus adhibitis ſedulò curat: pariter quoque febrì & eius fonti, putredini, atque ſupervenienti pernicii ſimul & maturè erit obviandum. §. 23. Quæ ipſa pernicii populabundâ contagione promiſcue & communiter invadens atque trucidans, uti ſignum eſt ab eſſentiâ peſtis propriè & inſeparabiliter mutuatum: ita in progreſſu univerſalem & epidemiam peſſimam adeſſe infallibiliter prodiſcit; antegreſſis præcipue cauſis liquidis, (ut eſt converſatio cum hominibus infectis aut ſuſpectis.) & accedentibus ſymptomatibus vitalis facultatis enormibus, & ſubitò vires proſternentibus. §. 24. Exindè itaque *lib. ſupra all. gal. capite toto ſecundo Avicenna* certa, quamvis variantia, captari poſſe putavit peſtis præſentis auguria. Ita quidem, ut ſemper adſit Febris (ſine quâ nullum in peſte mori cenſuit *Craſiſto in Epist. medic. 133.*) nunc quidem manifeſta, nunc ob cæcas proprietates nec Medico ſatis obſervabilis. Quod huiusmodi febres plerumque extra ſint mites, nec externa aurium, narium, pedum ad tactum videantur calida, aut ſaltem minus, quàm aliæ partes caleant; Interna autem ferveant & æſtuent, cum in putredinis potiſſimum loco concentratus calor deliteſcat, atque ſic maligno ſuo incendio, cor reliquaque viſcera vehementer torrendo, maximam agrotantibus afferat calamitatem. §. 25. Talem verò caliditatem & inflammationem plerumque intus fortem, & cordi, ceu vitæ radici, peculiariter obvenenum commiſtum adverſam, aliquando & extra ardentem, comitari & indicari videmus vel *actionum leſarum*, vel *excretorum*, vel etiam *mutatarum qualitatũ* ſignis ſymptomaticeis: quantumvis haud omnia junctim ſemper ſint conſpicua, ſed pro malignitatis ac putredinis intentione ac remiſſione, & naturarum quoque ac temperamentorum diſcrepantiâ maximè variant. §. 26. *In prima igitur action. leſ. claſſe* (1) febrili flagrationi, & (2) repentinæ virium abſque liquidâ cauſa exolutioni aſſociantur *ab Avicenna*, præter (3) capitis dolorem inſignem, aliis febribus quoque & maximè communem, atque ſic ab eo omiſſum; (4) anhelitus foetidus & creber, aut etiam conſtrictus, ſeu reſpirationis diminutio & frequentia; (5) vehementia ſitis, & ſiccitas linguæ ac faucium moleſtiſſima; (6) nauſea & inappetentia; (7) oris

ventriculi vellicati dolor, undè cardialgia; (8) ejusdem cordis angu-
 stia, vehemens palpitatio, ut & syncope; (9) Rationis commissio, h. e.
 delirium ingens; (10) vigiliæ intensæ, (11) interdum etiam lethargus,
 vel caros; (12) tussis aliquando sicca; (13) pulsus frequens & parvus &
 inæqualis & noctu verè vehementior; (14) multoties quoque vomit-
 us biliosi & enormes &c. §. 27. *In altera excretorum classe sunt*
 (1) fluxus alvi immoderati, foedi, spumosi, & de genere ejus, quod lique-
 fit, aut dysenterici; (2) urinæ nunc aquosæ, i. e. tenues & crudæ, nunc
 cholericæ & turbatæ, nunc melancholicæ, seu lividæ ac foetidæ: non-
 nunquam sine magna alteratione, s. sanorum urinis similes. (3) Sudor
 foetidus, quorsum spectant & hæmorrhagiæ variæ. §. 28. *In tertio*
ordine qualitatum mutatarum exhibentur: (1) maculæ variæ, flavæ, sub-
 albidæ & plerunqve rubræ, quæ velocis apparitionis & disparitionis
 quandoq; sunt, *Avicenna* vocat Bothor. (2) ulcerum malignorum, seu bu-
 bonum & anthracum *ἐν πυρετοῖσι, καὶ πρὸ πυρετῶ, καὶ ἐπὶ πυρετοῖσι* (ut
loqui amavit Hippocrates 3. Epid. §. 3. in statu pestili.) eruptio. Quæ &
 plura habentur apud *Avicennam* c. 2. allegatio, sed ea in ipso theore-
 mate ob copiam insignem omittere, & hic in *ἐκθέσει* adjicere, ma-
 lui. Causas autem istorum symptomatum speciales, & quid prodant sin-
 gula, qui scire expetit, adeat *Unzerum de lue pest. l. 1. c. 22. §. 29.* Non
 contemnendum quoq; pestis signum à mutatis qualitatibus corporis
 esse volunt, si hoc foetidum quid exspiret, aut totum malè oleat, cibum-
 que & potum putrido sapore infectus esse dicat. Quibus accensetur
 oculorum vivido colore destitutorum & qs. moerentium rubicunda
 inflammatio. *De quâ in preced. disp. theor. 7. §. 30.* Præter hos ap-
 pellentis ac propediem appulsuræ, aut etiam jam tum appulsæ pesti-
 lentis ante-ambulones ac stipantes satellites, dari etiam diagnosticos
 nuncios, quibus species febrium pestilentium Ephem. Putr. Hect. à se
 invicem discernantur supra præmissimus & promissimus. Quæ nunc
 ponimus. §. 31. Nam si in spiritibus tantummodò affectis & in-
 infectis malum hæreat, ut pestilens febris sit solitaria citra putridam,
 tum nec magnum incendium, imò vix febris sentitur, pulsusque ideò
 parvus, læguidus, frequens, celer & omninò inæqualis. Urinæ ferè
 similes sanorum, nec turbidæ nec crudæ: lingua nec est admodum
 sicca aut salebrosa, neque sitis vehemens, nec appetentia dejecta: nulli
 adsunt carbunculi, nulli bubones, parotides & exanthemata. Atq; sic
 naturales actiones quodammodò benè habere videntur. Sed corpo-
 ris jactatio & inquietudo citra dolorem aliquem, propter summam

virium præsertim vitalium debilitatem, adest: indeq̄ve frequens animi defectio ac interdum syncope: assidua vomitio, per quam ne cibus quidem optimus cor recreat: vigiliæ molestæ, & similia à spiritibus laborantibus provenientia, quibus fit, ut sic inopinatò sæpè decedant ægri. *Fernelio referente l. 4. de febr. c. 17. §. 30.* Quo loco alterius quoq̄; (speciei, quæ putrida est, vel putridæ permixta, & ita humoribus prædominatur,) notas superioribus subjungit, uti sunt capitis dolor, & gravitas, & in somnum propensio; deindè delirium, spiratio difficilis, & graveolens; sitis in exhausta, dejecta appetentia, biliosa vomitio, interiorum æstus vehemens, & extremorum frigus, urina cruda, turbida & foetida: tœda ac graveolens alvi proluvies, aliæq̄ve plurimæ, quæ pro varia corporis humorumq̄ve constitutione alia alios exercent. §. 31. præter jam enumerata, & aliis quoq̄ve putridis febribus ferè communia signa, alii hîc humores in exanthemata, bubones & carbunculos ebullire volunt, cum interiora magis æstu laborent & torreantur, atq̄; torqueantur à febre, foris miti & intus conturbante. *ut verba sonant Avicennæ, §. 32.* Solidas deniq̄ve partes si febris accenderit hæctica, quæ frequentius ex humoralis vel spirituosæ nascitur, nec tamen ipsius cordis substantia hîc putret, aut computruit, sed fixum habet calorem putrem in primis humoribus, nec jam fomite alieno indiget, *ut scribit Joubertus de peste c. 6.* illa verò exigua sanè est, nec calor ille p. n. fortis sed vix ab ægris persentiscitur. Undè pulsus æquales, mediocres, debiles, sed paulò frequentiores, ac vel deficientes: urinæ colore, crassitudine, & sedimento naturali plerumq̄; similes: hujusmodi ægri cum primùm cibum assumpserint, sudore frigido madent; neq̄ve hi delirant, neq̄ve alvi profluvio aut alio symptomate conflictantur. Talis pestis grassata fertur Lugduni & Viennæ anno M D XXV. *quemadmodum refert Montanus in alosi. & P. Droëtus in consil. nov. de pestil. c. 6.*

THEOREMA V. DE PROGNOSTICIS.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων ἔ πάντων ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσεις, ἔτε τῆ θανάτου, ἔτε τῆς ὑγείης. HIPPOCR. in Sententiis lib. II. §. 19. Quia r. r. ut Idem III. Epidem. sect. 3. in statu pestilenti insit, δύσχεστα μὲν πᾶσι πάντα γίνετα, καὶ ἀκρισία, καὶ χρόνια.

SUMMARIUM.

Signis diagnosticis prognostica coassantur, ducenda ab agroto, i. e. affectu & affecto, sive Subjecto & accidente; illorum in morbo acutissimo periculosa pronuntiatio demonstratur;

zur; temeritas & timiditas Medicastrovum arrogantium, ut & egrotantium hominum sufflaminatur. Quæ tamen corpora Symbolum pestilentie magis secum gerant, aut quæ jam infecta ad portum salutis facilius enatatura, quæq; naufragium factura per naturæ & artis indicium sperentur, ex ipsis summis Artificibus declaratur.

Ἐνθεσις.

§. 1. Quando Coacis ille prænotionibus pariter & prædictionibus admirabilis & divinus, nec divinans Heros l. 1. morb. vulg. sect. 2. stat. 2. quid cocta, quidve cruda portenderent, prodidit; illa quidem indicationis celeritatem, hæc ejusdem cessationem; illa certam salubritatem, hæc verò dolorem & diuturnitatem, aut mortem, aut reversionem: Quodcunq; autem horum maximè futurum sit, ex aliis, ait, debere considerari, ut præterita enarres, præsentia cognoscas, & futura prædicas.

§. 2. Cumq;ve Tria Artem circumscribant: Morbus, Æger & Medicus, qui Artis est administer: huic ad utrumq; sibi propositorum & conjunctorū, addidit, respectandum esse, allaborandumq; ; ut in morbis commoedet, aut ne quid offendat, vel lædat ægrotantem, utpote quem unà cum Medico oporteat morbo reluctari.

§. 3. Quando quidem ergò in signis diagnosticis ad præterita pariter, quæ pestem antevertere soleant, & ad præsentia digitem intenderimus; continguum sanè videbitur, uti futurorum quoq; prognostica prioribus subnectamus; quæ quidem Medico, secundum Artis dictaturam & doctrinam, cum à morbo ipso pestili, ejusq; naturâ, tum à decumbente conjunctim sunt conjecturanda.

§. 4. Horsum tendunt triplicia signa & accidentia febrium apostematicarum Avicennæ lib. 4. Fen. 1. tract. 4. c. 14. significantia vel materiam, sc. morbificam; vel (quæ ad unum caput pertinent,) membrum infirmum; vel etiam infirmi dispositiones, quæ indicant ejus salutem aut mortem.

§. 5. Sed neutrum absq;ve altero cognosci dijudicariq;ve potest. Uno igitur verbo Medici prognosis respicit Ægrotum; Quâ unicâ voce Hominem juxta & Ægritudinem combinamus, potentiam in super & actum, ita ut tam ægrotaturum, quàm jam ægrotantem connotemus. Nam & ille, quamvis nec sanus, nec ægrotus, sed neuter vulgò dicatur; quò tamen morbo suscipiendo magis est idoneus & propior, eò magis ægrotorum, potentiâ sc. proximâ, vel mox ægrotaturorum tribui venit accensendus.

§. 6. Prognostica utiq;ve non minus atque diagnostica signa, etiamsi specialius & proximius adhuc, denotant vel imminentem, advenurumq; huic aut illi individuo magis obnoxio morbum

malum; vel jam presentem, maleq; aut bene eventurum. Quâ duplici
differentia totum prognoscens negotium dispescitur & absolvitur.

§. 7. Utrumvis autem illius munus, si ullo in morbo acuto (ad
Hippocratis adductum effatum Theorematicum) periculose suscipiatur,
tanquam incertum & fallax; certè in acutissimâ & exitiosissimâ atq;
ferali peste non potest non esse periculosissimum, anceps, obscurum
& lubricum. Quod vel meræ dentur ἀκρισία, vel saltem pleraque
appareant δυσκριτότερα, (ut idem saepe loquitur *Archiater*,) h. e. (*Anu-
sio Voësi* edt. ad lib. 2. *Epid. sio. 1. f. 995. interprete*) quod crises statu pe-
stilentefiant vel nullæ, vel paucæ, difficiles, incertæ ac minimum tutæ.

§. 8. Quia etiam licet signa quandoque habeantur tolerabilis
statûs & salutaria, eorum tamen spes subitò decollat, & exercitatissi-
mos quosque Medicos, tanquam corvos hiantes deludit: E diame-
tro pessimis interdum abundantibus signis ægroti nihilominus præ-
ter omnem adstantium vel Medicorum quoque expectationem mor-
tem effugiant & reconvalescunt. *Mindererus de Peste c. 11. & Forestus
lib. 6. in sch. ad obs. 13.* Usque adeò creperæ naturæ funesta & dira ista
lues est, ut salutem sæpè in facie, funus verò in tergo gerat, citiusque
semper exitium, ac internecinam perniciem miniterur, quam salu-
rem ac securitatem promittat. *Siquidem Unzer. lib. 2. de pest. ita presä-
to credamus.*

§. 9. Quantò igitur minùs aliàs fidei Medicorum va-
ticia (etiam *Galen*i temporibus imposturæ & præstigiatorum nomen
adepta, lib. ωβι τδ προσγινώσκην) communiter habere solent, juxta vul-
garem etiam *Paræmiam*, quæ præstare dicit à 60. Medicis morti addici,
quàm à 6. Scabinis, cum ob hanc potissimum causam veteres Medici
Diis immortalibus olim exæquarentur: Tantò magis hîc Juniores præ-
sertim medicos *Palmarius de febr. pest. c. 7.* admonitos esse cupit, ne de
eventu hujus luis contagiosissimæ temerè aut præcipitanter aliquid
prædicere aut sibi polliceri arrogant, sed judicium suum tantisper sus-
pendant, donec de peractâ naturæ cum morbo pugnâ præsagationem
stabilem apud ægrotos, vel eorum adstantes edere ac institueren-
queant.

§. 10. Neque sanè certiùs quid ante, vel post invasionem
κακῆ βέλγης uni vel alteri sperare, metuerè que possumus, quàm præ-
lio commixtis prædicere, quos globi telaque in aere undiquaque cir-
cumstrepentia & vagantia haud dubiè sint præteritura, quos lethali-
ter, vel superficialiter peritura. Cum promiscuè & absque προσωπολη-

*N*on omnis sexus, ætatis, conditionis, constitutionisq̄ve Pestsis soleat a-
 dormiri, ruere, sternere, enecare. §. 11. Si tamen aliquid edifferen-
 dum sit, & secundum illud, quod sæpiusculè contingat, præfinien-
 dū, tam de eo, Quæ corpora ut plurimum citius tardiusve, peste com-
 muniter se habente, corripiantur ac corrumpantur? quàm de altero,
 Qualis debeat esse morbi facies, vel potius quæ circumstantiæ in pe-
 ste laborante sint considerandæ, si qualitercunq; vel periculum mor-
 tis, vel crepusculum vitæ atq̄ve salutis debeat prænunciari; tum Veter-
 rum experienciã Medicorum comprobata hujusmodi signa profer-
 rem. §. 12. *Avicenna quidem lib. IV. Fen. 1. tract. 4. c. 1.* ad prius
 problema respondet, quod temperamentum cordis calidum & humi-
 dum facit corruptibile vel saltem præparabile, ut tanquam patiens
 debile agenti forti coelesti subjiciatur: illud autem præparatur & dis-
 ponitur ab habitu cacochymo præcipuè. Febris pestilentialis, inquit,
 communicat multitudini hominū, quin iterum in seipsis habeat pro-
 prietatem præparationis, ut corpora sint plena humoribus malis, (nam
 munda forsitan exinde non patiuntur, adjicit) & debilia, sicut illa, quæ
 multiplicat coitum, & corpora dilatatorum pororum humida multæ
 balneationis. §. 13. Ex quo licebit inferre, quod calidi & humidi,
 ut sanguinei atq̄ve etiam cholericis, pueri & adolescentes, item raro
 corporis habitu præditi, citoq̄ve sudantes; ut voluptuarii & libidino-
 si, atq̄ve otio nimio torpescentes, virgines & mulieres, præsertim
 gravidæ, nec non pauperes, & pravorum humorum inexpulsi, in-
 saburrâ laborantes, ut & pavidi ac ultra modum tristes facilius & ci-
 tius, tanquam pesti oportuniore intoxicentur; quàm Phlegmatici
 aut melancholici, quàm senes, quàmq; corpora minus porosa & ad su-
 dorè proclivia, quàm tempestitiva moderatorum laborū subeuntes ex-
 ercitia, quàm temperantes à Venere nec uterum gerentes, quàm viri,
 quàm divites, & per naturales, vel artificiales modos à pravis humo-
 ribus liberati, & sic quoq; quàm ulceribus scatentes, etiam Gallicanis,
 vel fonticulos gestantes, vel arthritici, vel etiam peste semel tentati,
 quàm deniq̄ve fortes, intrepidi & moderatè gaudentes. §. 14. Quan-
 tumvis autem alius alio videatur interdum habilior lui isti capessen-
 dæ, nemo tamen statim exindè immunitatem sibi promittere, multò
 minus securitatem Epicuræam arrogare debet; ingravescente præser-
 tim malo, & indifferenter sæviente. Nec etiam vicissim planè spem.

omnemque animum quispiam abiiciat si pestiferæ labi concipiendæ videatur aptior; cum meticolositate suâ, tanquam suo sibi jumento malum accersat celerius, qui animo Deo confiso & erecto, bonâ diætâ & alexipharmacis aliquo pacto posset invasionem prævenire.

§. 15. Nam cum bonus animus dimidia feratur sanitas, nec infecti quoque de superno auxilio medicamentorumque virtute omnem spem desperabunt, siquidem ex inopinato multi adhuc fuerint servati; necque tamen etiam jubentur esse temerarii, si contagium haud usquequaque videatur periculosum eos insiluisse, h. e. etiam si his bona salutariaque signa affulserint, illis autem mala perniciem minitentur. Qualium aliquot, sine præjudicio, ex veterum quoque judicio hinc enucleabimus. §. 16. Quemadmodum autem *suprà* diagnostica signa è symptomatum tribus tribus in campum apertum minavimus: Ita quoque prognostica ex iisdem jam sistemus. Quæ mala perhibentur, si vel *actiones animales*, easque inter (1) *sensitive externa*, aut (2) *interna*, ut & (3) *motrices*, vel (4) *actiones vitales*, aut denique (5) *naturales enormiter lesæ*, vel penitus prostratæ sint, quamvis sigillatim; sed pejora, si conjunctim & multa simul malè se habeant. Qualia etiam (6) *ab excretis & retentis*, & (7) *à simplici qualitate corporis*, item (8) *ab externa ejusdem figurâ* decerpuntur.

§. 17. *Singulis membris singulos vel plures Aphorismos ex lib. IV. Hippocrat. aliâque loca gemella*, mortem vel maximum periculum significantia, tanquam classicos Tribunos præfecturi, & præsupposituri, paraphrasin & vim illorum ex *Unzero & aliis* subjiciemus. §. 18. *Ad primam & ultimam igitur tribum spectat Aphorismus, IXL. lib. 4. juxta quem dicimus: Si peste acutè laborans, oculos habeat scintillantes, rubros, nictabundos, vel caliginosos; seu prorsus non videat, audiat, aut perpetuis aurium tinnitibus vexetur, vel gravem torporem aut stuporem, nec non lassitudinem ingentem omnium membrorum persentiscat, tunc sanè funestum impendere periculum asserendum.*

§. 19. *Ad secundam & tertiam quadrabit Aphor. L. Quod si in peste delirium, sc. continuò perseverans, aut maxima anhelitûs difficultas contingat; ita ut illinc stupidus, & intellectu sensuque privatus videatur, hunc autem frigidum expiret, aut fiat ἀφωσθη: tunc spes in angustio, seu præcipiti potiùs, mors autem in procinctu, credendæ sunt.*

§. 20. *Ad quartam referendus videtur Aphor. LXV. si feбри acutâ conflans*

fluctans convulsiones, aut circa viscera dolores vehementes, crebraq;
animi incurrat deliquia, vel cordis palpitationes; nec non toto mor-
bi decursu pulsum habeat languidum, tremulum, formicantem; tunc
salutem ægri desperatam fore non hæsitanter ajendum. §. 21. *Ad*
quintam Aphor. LXIV. Si in hujusmodi febribus circa ventriculum æ-
stus vehemens & oris ventriculi, h. e. si interiora maligni ardoris in-
cendio appetentiam extremo prostratam æger habeat, ventriculus
quoq; ejus continuus singultibus lancinetur. Et cibi atq; antido-
torum vomitionibus indefinentibus fatigetur malum quoq; est.

§. 22. *Ad Sextam confer ejusdem lib. 4. Aphorismos 21, 37, 47, 56.* Si
febre oppressus pestilenti mox in principio hæmorrhagiâ tentetur, vel
à sumptione alexipharmaci penitus non sudet, aut sudores frigidi ob-
oriantur, ijq; tantum frontem, collum, aut pectus irrorent: vel in vigore
morbi enormi diarrhæâ biliosa vel atrabilaria, vel fluxu ventris sangui-
nolento corripitur, & ultra excretiones, excreationes quoq; & uri-
nas profundat lividas, graveolentes, plumbeas; tunc præsens instare
exitum ægro non vanè suspicandû. §. 23. *Ad septimam locus est pro-*

ptus apud Hippocratem l. progn. Si locus in quo fuerit bubo, vel anthrax,
fuerit ulceratus, & postea exsicceretur, tum colorem lividû, vel viridem
protulerit, aut iridè circulo diversi coloris (*juxta Forestû lib 6. Obs.*) re-
ferat, mortem præfagit. Sicuti & maculæ hujusmodi coloris, vel plum-
beæ & nigræ in corpore efflorescentes idem arguunt, aut illa omnia
vel planè non erumpant, vel subito intro sese subducant *V. Bernardus*
Gordonius de progn. partic. i. p. 1008. §. 34. *Ad octavam quoq; refer*

Aphor. 48. si peste decumbentis membra externè extenuata frigore
algeant, interna vero urantur, faciesq; infecti Hippocratica, cadave-
rosa, naribus & oculis, acutis, collapsis temporibus, lingua adustâ & ni-
gra appareat: Tunc eundem ab extremâ Fati lineâ paucis abesse passi-
bus veraciter pronuntiandum. §. 25. *Quæ omnia ratione generis*

veriare compertum: ratione verò subjecti, vel materie, Diaria pestis per-
hibetur lethalissima: nec non illa, in qua putredo ad corpus cordis
pervenit, juxta Galen. 3. de presag. ex puls. sicuti & ratione cause pessima
censetur, quæ ab aëre infecto ortum trahit. §. 25. *E diversis diver-*

forum quoq; eventuum poterit aliqua conjectura capi. Quamvis e-
nim in latissimo M. discriminum Oceano semel infecti, vix digitis à
morte remotis quatuor, fluctuent, & hinc indè jactentur; ad Bonæ ta-

men spei promontorium citius & facilius illi præsumantur appulsi-
 ri, & periculum suffocationis funestæ evasuri, qui adhuc signa fortio-
 ris naturæ, & mediocris saltem virium constantiæ, tam quoad corpus,
 quàm quoad animam, & singulas vel præcipuas modò Facultatum,
 anim. vit. & nat. functiones intus forisqve exserant; attestantia vi-
 gori, roborique superstiti cordis vel jam triumphanti, aut mox de ex-
 pulsione veneni triumphaturo. §. 26. *V. G. Qui ad Hippocratis a-
 phoristicum oraculum 33. lib. 2. mente sibi semper quàm optimè consent*
 & ad oblata se benè habeant, neque delirio, vigiliisqve perpetuis, vel
 etiã lethargo, aut oblivione, & indolentia divexentur, sensuū plero-
 rumqve & quidem nobiliorum exercitia teneant integra, respiratio-
 nem & vocem atque faucem liberam, pulsum æquabilem, atque cor-
 dis haud quaquam defecti indicem, appetentiam firmam, calidos
 largosqve totius corporis sudores, urinas laudabiles, alvumqve mode-
 ratè laxam absqve fluxu colliqvativo; membra deniqve exteriora à
 naturali statu haud adeò longè recedentia habeant; illi quò pro-
 pius accedant huic idæ, eò longiùs abscedunt à periculo. §. 27. Nec
 adeò his officere Deo favente potest, si tumores etiam magni, aut bu-
 bones plures, carbunculiqve sanguinei subito atque confestim erum-
 pant, promineantqve; licet magnã veneni copiam in corpore adesse
 probent, attamen simul naturæ facultatisqve expultricis robustam de
 veneno reportatam denotant victoriam, quod vix quicquam materiæ
 venenatæ penes principes interiores partes sit reliqvum, à quarum se-
 dibus procul illa sit iussa exulare. §. 28. Quæ ipsa fiducia magis adhuc
 augetur; si quæ prodeunt, ægrotum allevent, cum symptomatum re-
 missione, nec ista iterùm evanescendo retrocedant; atque reliqua se
 benè habeant etiam, ut si neque cibi, neqve potus, multò minùs me-
 dicamenta evomantur, sed hæc recte & temporari propinentur atq; per
 sudores materia discutiatur. *V. Sennertus l. 4. c. 6. de febr.*

§. 35. Summatim adhuc quædam hîc deniq; observanda. Pejora semper si-
 gna sunt, quæ Symptomaticè, quàm quæ Criticè accidunt; quæq; immediatè h. e. ab
 interioribus, quàm quæ mediatè ab exterioribus, ut bubonibus & anthracibus col-
 liguntur; Quæq; ab apostematibus dextræ partis, quàm quæ à sinistris. *V. Bern.
 Gordon. Si bubones pauciores, aut carbunculi plures appareant; quàm si plures bu-
 bones, vel pauciores sint carbunculi. Sennert. item: Quæ prognostica sint immu-
 tabilia, (ut: quod omnia bona Signa debeant esse suspecta, Montanus. Quod animo
 sæpè linqvi, pulsum intermittere sit malum. Hippocr. 4. Epid. . Quod pulsus langui-
 dus languidas vires aiat.) Quæ verò mutabilia? (ut quod intra 30. horas pestis
 ferè interficiat, sed interdum protrahatur.) *Vid. D. Crusius l. cit.,**

THEOREMA VI. DE PRÆSERVATIONE.

Ubi morbus unus populariter grassatus fuerit, non victus rationem in causâ esse, sed quod spirando ducimus, manifestum est, ipsumq; morbosam quandam excretionem planè obtinere. Eo igitur tempore his exhortationibus homines sunt admonendi, ut ne victus quidem rationem minimè immutent, cum morbi causa minimè existat. Provideant etiam, ut corpus quàm minimè intumescat, sitq; attenuatissimum tum: cibos, tum potus, quibus uti, consueverunt, sensim demendo. Si quis enim subito victus rationem immutet, ne quid in corpore ex immutatione innovetur, periculum est. Sed solita victus ratio servanda est, ubi nihil quidem ledere videtur; atq; insuper ut aëris quàm minimum in os (corpus) influat, isq; ut maximè peregrinus sit providendum, tum regionum loca, in quibus morbus consistit, quoad ejus fieri poterit, permutando, tum corpora extenuando. Ita enim minimè multum ac frequentem spiritum homines ex necessitate attrahent. HIPPOCRAT.

SUMMARIUM.

Antegressa theoremata, ut alia medica omnia, unice ad Curationis prophylactica pariter & therapeutica scopum collimasse per anacephaleosin ostenditur. Præservatio vero potissimum huc expenditur; ejusq; partes ex Hippocratis alleg. textu dichotomicè referuntur & explicantur: Aliaq; huc pertinentia ventilantur: An & ubi pyra accensa juvent, quosq; faci odes? cur Elixir proprietatis tantopere dilaudetur? &c.

Ἐκθεσις.

§. 1. Quo pacto Medici finis primus & ultimus est Sanitas, prout ea vel integra incorruptaq; asservatur & à morbis præservatur; vel labefactata pristino vigoris gradui postliminiò reservatur & instauratur Galen. l. de sectis, & l. de optimâ sectâ: ad eundem modum primaria & summa pars Medicinæ, tam ψοφύλαξι, quàm θεραπείαν complexa, Curatoria est, ad quâ reliqui artis circuli q. s. concentrantur. §. 2. Quæ itaque è fontibus pestilis essentiæ, causarum, differentiarum & signorum præmissis emanarunt, ea huc tandem omnia (si Medici opus ad umbilicum perducere debeat) sunt corrivanda: siquidem Medicus (è Medici maximi Galeni sententiâ) ad curandum simul sufficiat, qui suffecerit ad cognoscendum. Prout praxis colophon est theoriæ, quam semper il-

la ceu fundamentum præsupponat necesse est, si rectè & feliciter age-
 re satagat. §. 3. Quod si jam cognitio *παθο-καὶ αἰτιολογική*, atque
 insuper *σημειωτική* rite conveniant, scopi curationem indicantes non-
 erunt difficiles. §. 4. Quis enim tam cæcutit, ut non videat abla-
 tione causæ hanc pestem tolli, ait *Henning. Scheunemannus in Paracelsia*
de morbo Merc. contag. p. 64. & ob diversas causas diversa quoque re-
 media in ægrotis, variamque vivendi rationem in sanis exigi? *Argen-*
ter. de caus. morb. lib. & cap. 1. §. 5. Sicuti & *supra Theor. II. Galenus*
idem intendit ex Hippocrate περὶ Φύσε. & ἀνθρώπου f. 229. ita quidem
 ut pesti nõ naturali, vel potius supranaturali, quæ proveniat ab exha-
 lationibus aëris ambientis, proprietate totius substantiæ agentibus &
 corrumpentibus, præscripserit mutationem regionis, & usum pauxil-
 læ inspirationis; pesti autem à qualitate saltè corpora offendenti, sive
 jam facta illa, sive in fieri sit, contrariis saltem qualitatibus in utraq;ue
 curâ prophylacticâ & therapeuticâ putârit obvianum. §. 6. Nec
 aliud affectant signa *δια-καὶ προγνωστικά*, quæ in eo utiq; concordant
 quodammodo, quod adventurum & eventurum præsentiant & præ-
 nuncient malum, & utraq;ue ex parte prophylaxin, ex parte therapian
 attinent. Prout namque morbum instantem universaliter præfagiunt
 diagnostica, sic generalia quoque præsidia subijciunt sanis usurpan-
 da; quatenus verò idem præstant prognostica, sed particulariùs, eate-
 nus huic vel illi homini pestis capaciõri specialioribus præmonitio-
 nib; & præmunitionib; in tẽpore succurrendũ esse jubent: Pari quoq;
 Ratione remediorũ qualitas ab indicantibus morbi præsentis qualita-
 tem petenda & morbidis applicanda venit. *Galen. XI. M. M. & Ar-*
generius l. 2. de offic. Medici c. 15. §. 7. Quibus fundamentis jactis,
 pro viribus nostris nunc extruemus & imponemus iis medica mœ-
 nia. Si namque diligens sanitatis Curatio sit gemina, vel præsentis per-
 salubris victũs rationem conservatoria, & à morbis minantibus ac
 imminentibus præservatoria, vel illius absentis per auxilia medici-
 narum à morbis præsentibus reparatoria: utraq;ue secundũ indica-
 tionem caussarum & signorum sigillatim instituenda, quamvis in qui-
 busdam ambæ conveniant. §. 8. Quemadmodum & *Avicenna lib.*
tract. & c. IV. fen. 1. Rectificationis pestilentiæ partem esse voluit circa
 sanos, partè circa ægros & sanos. Illius intentionem, ait, ut exsicceretur
 aër, & fiat boni odoris, & prohibeatur ejus putredo, quacunq; re possit:
 Hujus verò eundem scopum esse, nisi quod fortior debeat fieri exsic-

caro, indeque suffumigationum multiplicatio. §. 9. Sanorum autem nunc quidem cura secundum causas procatarticas & signa diagnostica suo prerogativæ jure erit præmittenda. Cum facilius videatur pestem etiam blandientem non recipere, quam semel receptam iterum expellere. *Turpius ejicitur, quam non admittitur Hostis*, sub hospitis & amici vultu se nobis cum aere familiari, & almis alimentis fraudulenter insinuans. §. 10. *Divinus igitur & Herculi compar Hippocrates* loc. cit. de nat. hom. unde propositum hoc Theorema integrè deductum; totam illam præservandi rationem sufficienter posteris revelaturus, his eam videtur cancellis includere voluisse.

§. 11. PRÆSERVATIO duabus absolvitur partibus: una est externa, altera interna. Sed Externa spectat præsidia vel remota, cujusmodi est locorum insalubrium, si fieri possit, ac deceat, cum salubribus permutatio. (Χρητῶν χωρίων τὸς τόπους μεταβάλλειν, εἰς δύνανται, ἐν οἷσιν αἰὲν ἔστι καθεστῆκη.) vel propinqua, ut est Aëris per odores peregrinos correctio, & ejusdem pauilla attractio, ne si copiosus inspiretur, virus quoque copiosum unà influat. (τῆ δὲ πνεύματι ὅπως ἐλαχίστη ἢ ῥεῦσις ἐς τὸ σῶμα (καὶ σῶμα) εἰσέλθῃ, καὶ ὡς ξειοτάτη ἔσαι προμηθεύεσθαι) §. 12. Pars Interna præservationis perficitur remediis, *Dietæ & Pharmacia*. Illa debet esse vel sensim temperatissima, (τότε σῶμα ὁρᾷ ὅπως ἔσαι ὡς ἀογκότατον καὶ ἀδενέστατον τῶν σιτιῶν τε ἀφαιρέοντα, καὶ τῶν ποτῶν, εἴσιν εἰώθει χρέεσθαι κατ' ὀλίγον) vel consuetudini congrua, si illa non sit pessima, retinenda, eò quod si quis citò dietam permutet, periculum sit etiam ab hujusmodi innovatione aliquid in corpore novatum iri. (ὅτι γὰρ μεταβάλλῃ ταχέως τὴν διαίτην, κίνδυνος, καὶ ἀπὸ τῆς μεταβολῆς νεώτερόν τι γίνεσθαι ἐν τῷ σῶματι. ἀλλὰ χρὴ τοῖσι μὲν διαιτήμασιν ἔτα χρέεσθαι, ὅτε γε φαίνονται μηδὲν ἀδυνάτονα τὸν ἄνθρωπον.) §. 13. Hæc Pharmacia sc. consistit in *Purgantibus & Alexipharmacis*. Ista priora innuit Hippocrates, dum corpora requirit quàm minimæ molis, & attenuatissima; (σάματα λεπτινότερα, ἀογκότατα, καὶ ἀδενέστατα.) Qualia non tam alimentis subtractis, quàm medicamentis evacuantibus usurpatis existere solent. Ad posteriora autem oculum digitumque direxisse videtur eo loco, cum aërem νοσηρὴν τινὰ ἀπόκρισιν vult penitus obtinere, quod Galenus hinc exponat ἀνεθυμίασιν ἰδιώτηι μᾶλλον ὅλης τῆς ἕστας, ἔχ' ἀπλῆ ποιότητι λυγρομένην τοῖς σώμασι. uti huc allegat Anutius Voesius. Ergo similibus quoque remediis, proprietate totius Substantiæ morbidæ exhalationi vel excretioni illi, adeoque pestifero veneno resistentibus vicissim vel in eorum defectu communibus alexiteriis, cardiacisque medicinis polychrestis utendum erit.

§. 14. Quæ omnia duos scopos communiter concernere quidam volunt: 1. Ut causæ illæ, quæ pestem inducere valent, removeantur. 2. Ut vis veneni infringatur, corporaque ad id suscipiendum minus apta reddantur: de posteriore præservationis internæ parte, ceu magis medicâ specialius est agendum, cum de priore externorum præsidiorum in priore quoque Disput. Philol. nostrâ nonnihil actum; ut Theoremate VIII. quatenus fuga arripi & approbari possit, & Theor.

IX. Politica remedia post Theologica tacta sunt: *Theorem. verò X.* quomodo aër ignibus, quibus per se vis insit medica, apud omnes gentes consueverit emendari. Sed cautione tamen opus est medicâ, quam isthic omissam hîc apponimus. §. 15. *Droëtus in consilio de pestilentiâ*: ligna odorifera & herbas ignibus injectas non parum ad purgandum quoque aërem conferre dicit; sed udo saltem, nubilô aut frigido cœlo. Nam calefcens aër celerius & promptius in nostra corpora penetrat; & alienâ qualitate facilius imbuitur: ut annotavit *Avicennas l. 1. cap. de tempestatum varietate*. Curandum est igitur, ne incalefcant vehementius, asperzione oxycrati, aceti rosati, acoro vulgari & similibus stratis. §. 16. Cui subscribit *David Crusius, in theatro Hermetico-Hippocratico p. 113. l. 1.* præservatio propinqua consistit in aëris correctione, & membrorum spiritualium inunctione. Illa à quibusdam indifferenter fit per lignorum accensionem, sed minus rectè. Nam ignis ratione caliditatis venenum reddit subtilius, spiritualius & ad penetrandum aptius. Quod & exindè videre est, quod pestis sæpissimè tempestate maximè serenâ maximas edat strages. Post distingvit inter venenum adveniens & præsens: illud exemplo *Hippocratis* per ignis calorem posse submoveri, utpote subtiliatum in auras evanescere: hoc verò minimè, quod subtilius redditum proximum quemque pro spirituali suâ naturâ apprehendat & sternat. §. 17. Sed nos meliorem distinctionem putamus illam esse, quam è *Plinio ult. Theor. sect. 26 præced. disput.* attulimus, quæ est inter pestem à Solis obscuratione, nebulo- saque putredine exortam, & udo tempore regnantem, vel à nimio fervore exardescentem. Illi ignes omninò erunt convenientes, huic minùs, nisi fortassis ignitis lateribus, & appropriato aceto extinctis fumum excitare velimus. §. 18. Igni confinis machinarum fulminalium in crepusculis sæpius iterata explosio, ad aëris validam purificationem & veneni discussionem apta quoque existimatur; non solum ratione vehementis commotionis & ad distans remotionis, sed & quod pulvis tormentarius ob sulphur & nitrum maximam vim aërem alterandi habeat. *V. Petr. Salius de febr. pest. c. 20. Lemnius 2. de occult. nat. mir. c. 10. Evvichius l. 1. de off. mag. c. 8.* §. 19. Præter fumum autem pyrij pulveris milites alium quoque salubriorem invexerunt ex polline Tobacci (quæ herba *Indis Uppovvoek, Brasiliânû petum, herba Regina, Lusitanis, Nicotiana Gallis; Cohobba Petro Martyri & C.*

§. 20. aliis aliter dicta) per tubulos accenso; qui præterquam aerem
 quod repurget, pituitam crassasque humorum superfluitates ex capite
 & ventriculo elicit, corporis meatus aperit, ab obstructionibus & pu-
 tredine corpora præservat, vel etiam liberat. Verum in illius usu cau-
 tio hæc adhibenda, quæ in aceto, ut sicca admodum cerebri constitu-
 tione præditi, qui que continuis vigiliis excruciantur, aut parcè adhi-
 beant, vel planè abstineant. Habet enim vim siccandi & somnum
 pellendi. *D. Ellenberg. disp. de purg. §. 20.* An igitur *Reysingio* & aliis
 pollex premendus, qui foetidis potius, quam odoratis suffitibus ae-
 rem pestilem ducunt emundandum? Quod absolutè nec ajendum,
 nec negandum, sed distinguendum suaserim. Nam sicuti illis, qui de-
 licatæ vitæ & odoribus suavibus adveti, non consulendum, ut repen-
 tinâ in contrarium mutatione, quæ violenta fertur, vaporibus suffian-
 tur graveolentibus, qui cum illos insolentiâ suâ vel maximè offen-
 dant, malignitatem citius gignant, quam averruncent. Sic vice versâ
 illis, qui omni foetori assueverunt, vapores isti non sunt abrogandi. In-
 veniuntur homines, qui cum myropoliâ prætereant, nares obthurare
 cogantur, sordibus verò reficiantur; hinc Scythas, homines impuros
 fortasse juverit canium feliumque interfectorum putridus odor; (*Alex
 Benedict. de peste c. 6.*) aliis cornua, vel recrementa coriacea adusta, his
 hircus olidus, aliis alia foetida, multis opificium suum sordidum pe-
 stem defenderit. E. G. Coriarii, & qui cloacarum purgamenta expur-
 gant, ut & qui in nosocomio ægrotantibus ministrant, qui que alia
 sordida tractant, nec non lue Gallicâ infecti rarò peste inficiuntur. Illi
 enim vel omni graveolentiæ, & aeris inquinamenti assueverunt, vel
 putor illorum pestilentem aerem superat & obtundit, usque adeò, ne
 percipiatur, nec intra casas eorû admittatur, atque ita venenum veneno
 fit alexiterium, unumque alterum debellat ac depellit. *§. 21.* Sed be-
 nè educatorum spiritus bonis potius odoribus, ad cor & cerebrum re-
 ficiendum, oblectentur, & iccirco ijs vera alexipharmaca tam anti-
 quam Sympathetica veneno perscribenda, h. e. quæ vel vi specificâ
 agant, vel magneticâ. Illa quæ totius essentiæ proprietate veneno
 contraria sunt, ut Angelica, benedictus carduus, Ruta, scordium, Zedoar
 &c. Hæc quæ ob similitudinem idem ad se pertrahunt, sunt arseni-
 cum, Scorpiones. Utrinque olea & balsami sunt quorum hæc extrin-
 secus venis pulsatilibus, arteriis scilicet temporibus, regione cordis, & na-
 ribus

ribus inunguntur, illa partim etiam intrò assumi possunt non minùs,
 atq; Bezoar, unicornu & CC. atque Salia ex superioribus vegetabili-
 bus confecta, quibus & essentia serpentum, & pulvis ejus à quibus-
 dam accensetur. §. 22. Alexipharmacis autem succenturianda quæ
 propriam quoque præservandi famam hic retulerunt, ut quæ totâ suâ
 naturâ putredini sunt inimica, quâ vel defuncta corpora ab eâdem
 vindicent; qualia *Nicodemus* ad J. CHRISTI funerationem centena-
 rio pondere attulisse in sacrâ passionis salutiferæ historiâ apud *Evange-
 listam Virginem c. XIX. v. 39.* legitur. Myrrha sc. & Alôe, è quibus Cro-
 co, ad vires recreandas, admittis fit medicamen, de quo ut maximè
 proficuo, vel, uti cum Interprete loquar, jувativo quotidie pestis tem-
 pore, circiter ꝑj, assumere præcepit *Avicenna lib. tract. & cap. IV. tran-
 sitionis 1. Vid. etiam Paulus l. 2. c. 36.* Sed *Hollerius & alii* saltem hebdo-
 matim *pilulis Ruffi* eundem compositus utendum ducunt, ad excre-
 menta repurganda; ast non in gravidis §. 23. *Theophrastus* item,
Paracelsus easdem species eundem in finem commendat, nisi quod
 terræ verum gummi illud, & nativo præstantiorem balsamum, S U L-
 F U R istis velit præfigi, ceu ignem invisibilem, qui omnes absu-
 mat morbos, omnem putredinem, omnemque pestem & apostema-
 ta avertat & prohibeat Undè *Paracelsi* Elixir illud suum *proprietatis*
qs formalis seu specificæ, quâ ut à totâ substantiâ se morbis opponat
 tantoperè commendant, utpote quod illa omnia ingrediantur. Quo
 nomine miras quoque vires suffimento trochiscorum è fl. Sulph. &
 myrrhæ an. junc. & balsamo Peruviano q. s. confectorum tribuit *Ang.
 Salain tern. Bez.* §. 24. Hujusmodi multa congeruntur etiam
 ad Theriacam conficiendam, uti non minus, quàm *pyre aromatica* *Hip-
 pocratis* extra pestilentem aërem discusserrint; ita ignis hic purgatorius
Galenii intrâ corpus præsumentes ipsum in pestili aëris statu neu-
 tiquam malo corripit sinat; correptis autem medeatur, malitiam
 inspirati aëris alterans, nec ipsam amplius grassari permittens. *Gal. de
 Ther. ad Pison.* Ubi tamen per æstatem & calidissimis naturis, uti pue-
 ris & ætate florentibus exhibere minimè dicit consultum. Undè velut
 alimento usus est hoc medicamento *Marcus Aurelius Imp.* ætate incli-
 nante, qui primus ipsius existimationem fidemque auxit. Quocirca
 & *Avicenna loc. cit. inquit.* De illis, quibus è peste fit evasio, est admini-
 stratio Theriacæ, & *Mirhridati*, ante eam cum reliquo regimine bono.

THEOREMA VII. DE CURATIONE.

Quò celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eò maturius auxilia etiam cum quâdam temeritate rapienda sunt. Non facile sanguinem mittere, aut alvum ducere, non cruciare vigiliâ famève aut nimia siti, convenit. Vomitus post febrē eliciendus, & si punita in stomacho coijt, etiam cogendus est: deindè dandus cibus ex levissimis: tum is dormiat. Fereq; post longam sitim & vigiliam, post multam satietatem, post intractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur, Idq; presentissimum auxilium est. AURELIUS C. CELSUS lib. III, c. VII.

SUMMARIUM.

Convenientia & discrepantia præservationis & curationis docetur: hujus scopi è Pharmaciâ, Chirugiâ & Diætâ stringuntur, & singula diriguntur ad finem.

§. 1. Jam verò Epidemiæ pestilis natura fert, ut obvium quemque furiosa feriat, paucos itaque salvat præservatio, quâ jam vidim; videam; quoq; paucis strictè acceptam à ferâ hac admorsorū curationem.

§. 2. Utramq; in pluribus quidè coincidere quoad indicationes, antea probavimus. Veneno enim hîc quoque resistendum, viresque conservandæ. Quo minus mirum erit, si chartâ, & ob morbum tempore exclusi minus de Therapeuticis, quàm de Prophylacticis dixerimus. Quod hæc quæ affectis ægris, etiam perfectis infectis conveniant: eoque felicior successus hîc sperandus, si illinc cacochymia pharmaciâ, plethora quoque chirurgiâ prius correctæ sensim fuerint.

§. 3. In eo autem ambæ, auctoritate quidem Galeni l. 2. de antid. c. 2. differunt, quod non easdem vires obtineant, si ante antidoti post noxam veneni, & ante eam assumptæ. Nam quæ ipsarum quantitas, cum præsumuntur sufficit, ut hominem illæsum custodiat; ea quadruplò aut quincuplò aucta, cum post venenū datur, auxilio est: idque non semel quotidie, sed bis. §. 4. Quâ de causa quoq; fortè gliscente indies magis peste, & ubi eadem antidoti sæpius usurpatæ, harum pondus etiam in præservando esset sensim intendendū. §. 5. Ita Pilulas Ruffi quarū dosis communis est j. drachm., æantequam prehenderit aliquē pestis, minore quantitate, sed majore dandas, cum jam invaserit, svadet Ant. Valetius in scholiis ad Holler. de peste pag. 74. adduq; pag. 75. majore vi. ut morbus depellatur quàm ut precaveatur opus esse. §. 6. Quo

§. 6. Qui vero pestilentes febres curari debeant, id *Podalirium* & *Machaona* vult
 ignorasse *Latinorum Hippocrates*. C. C. E. L. S. U. S. proœmio *statim l. i. qui peculiari cap.*
VII. l. III. Canones Curationis convasavit partim generales, partim speciales in
Theor. hoc VII. expressos. §. 7. Præcepta generalia sunt: 1. Febrim quidem esse pe-
 stilentiam, sed hujus casum aliam & propriam desiderare animadversionem: necesse
 enim hanc, ut febres, fame vel abstinentiâ, aut purgantibus, talibusq; medicamentis
 expelli. 2. Rapido & rabido morbo, seu tempestate veriùs, efficacia auxilia, vel te-
 merè arripienda. 3. Robur virium esse expendendum, & ex toto non sic pueros, ut
 viros, curari oportere. 4. Ut in alio morborum genere, ita & in his agendum, sed
 parciâs. §. 8. Specialiter autem totam mali curam redegit ad triplicem materiam
 medicam: 1. *Pharmaceuticam*, 2. *Chirurgicam*, 3. *Dieteticam*. Atq; illam primam
 iterum ternario complexus est aliò, ut vel *áva*, vel *κάρω* educeret sentinam, vel etiam
τοῖς διαφωγτικῶς: h. e. vel vomitu pectus purgaret, vel album cieret, aut sudore ingenti
 præsentissimum remedium afferret. §. 9. Roborato igitur corde ut & principibus mem-
 bris reliquis, per alexipharmaca, & alterantia quoq; quod omnium primum est, Natura
 quò viam affectat, juvetur. Ut si principiò nausea, & ad vomendum proclivitas, ven-
 triculiq; morsus adest, magnam pravorum humorum copiam inibi circa vias commu-
 nes stabulari dignoscimus: undè vomitus inclinata primâ statim accessione eliciendus,
 qui ne sit laboriosus, *jusculum pulli gallin.* unâ aut 2. horis post sumptum vomitorium
 superbibatur, ut ab hoc in capacitatem ventriculi pellecti pravi humores cum illo re-
 jiciantur. *V. Droëtus, Horst. Matthiol. Croll.* §. 10. Quidam tamen vomitum non
 exigunt, ait *Celsus*, Si nec tum vomendi desiderium, nec aliâs quoq; fit; quin nec albus
 quòq; facile ducenda, nisi in progressu, & si corpus humoribus pravus scateat, pestisve
 ab interno humorum vitio dependeat, tùm enim benedicta exhibeantur. §. 11. Sed
 cum plus valeat facultas venefica ad indicandum, quàm cruditas ad prohibendum; de
 SUDORIFERIS alexiteriis præcipuè cogitandum, quibus etiam primas tribuisse videtur
Celsus. Ut eòdem pacto, quo venenum afflatum est, iterum diffletur. Tot autem
 & tanta apud *Sennertum, Unzerum, Bruele, Palmarium, Hollerium*, & in omnium fe-
 rè urbium antidotariis offeruntur, ut non tam lectu, quàm delectu opus sit. §. 12.
 Cum autem Natura, vel sola statim, vel pharmacis adjuta paulò post venenosa pro-
 trudat ulcera (ut loquitur *Celsus*) h. est apostemata, carbunc. &c. Chirurgiâ itaque opus
 est, ad ista persananda; atque adeò quoque cum nihil protuberat, eâ opus est, ut vesi-
 cantia, vel cucurbitule calore, calore, vi vacui, & substantiæ similitudine venenum ab
 internis partibus ad externas avertant. Qua de re consulantur *Parac. Joan. de Vigo, Pa-
 ræus, Hiller, Traugaultius* §. 13. Sangvinem mittere, si vires sinant, (primis 6. horis,
 vel potius in præserv.) optimum ducit *Celsus*; Sed ob discrimen indè metuendum pau-
 lò post revocat. Cause V. apud *Unzerum, Bartholin. Lang., Quercet. &c. contra Bo-
 tallum.* §. 14. Diata deniq; supra quoque in præservatione tacta sub reliquo reli-
 gimine bono, commoderatarum 6. rerum non-naturalium vulgo, sed malè ita dicta-
 rum. *Celsus* cibum dari mandat ex levissimis, & ut inter oportunam abstinentiam
 cibosq; oportunos æger nutriatur, neq; fame, aut siti, vigiliâve crucietur; multam
 potiùs suadet satietatem post infractum calorem: cujus rei successum laudant *Galen.*
 3. *Epid. & Avicenna*: Qui intinctus ex acidis commendat. In potu noster vult aquam
 nos cum hordeo benè coctam, vel potius cerev. defecatam, vinum ille quandoque
 meracius, nos cum aqu. Bez. dilutius. Omnia v. cum Deo, à quo solo prosper est